# QUÆSTIONUM LYSIACARUM SPECIMEN.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE III. M. NOVEMBRIS A. MDCCCLXXIII HORA XII.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Emil
AEMILIUS GODOHOLDUS SACHSE

POSNANIENSIS.

ADVERSARIUM PARTES SUSCEPERUNT:

K. ZACHER, DR. PHIL.
A. PEPPMUELLER, CAND. THEOL.

HALIS SAXONUM.

PATRI CARISSIMO

PRIMITIAS STUDIORUM

D. D. D.

Constat inter omnes viros doctos, oratores qui quarto saeculo a. Chr. n. floruerunt praestitisse iis qui post Alexandri Magni mortem eloquentiae studuerunt. quum enim a Demosthene, Aeschine, Hyperide Atticum dicendi genus ad summam perfectionem perductum esset, qui postea viguerunt oratores aut eos ipsos, qui et in dicendo et in scribendo principes exstiterunt, imitati sunt, veluti Dinarchus, aut si quid per se ipsi in lucem protulerunt multum discesserunt ab illorum genere dicendi. atque in horum numerum referendus est Phalereus Demetrius, quem, quum orationem mollem teneramque reddidisset et suavis videri maluisset quam gravis, primum orationem inflexisse Cicero ipse censet. post eius autem tempora Atticum illud dicendi genus in Asiam translatum est, atque ibi duobus modis tractatum atque cultum. „unum genus Asiaticae dictionis, ut ait Cicero in Bruto § 325, sententiosum et argutum, sententiis non tam gravibus et severis quam concinnis et venustis. aliud genus est non tam sententiis frequentatum quam verbis volucre atque incitatum nec flumine solum orationis, sed etiam exornato et facto genere verborum“. atque hoc dicendi genus ab Hortensio ad Romanos translatum est, id quod aliquanto post reprehendebant, quibus Attici oratores laudandi videbantur. et ii quidem quum Thucydidem Xenophontemque tum Lysiam laudibus extulerunt. iam antea autem Hegesias Lysiam imitatus est qui, ut ait Cicero in oratore § 226, numerosam comprehensionem, qua utebatur Demosthenes, per-

verse fugiens, dum imitari Lysiam vult, saltat incidens particulas. et Cicero quum illud genus dicendi Atticum non probaret, tamen Lysiam magni aestimavit. „fuit Lysias egregie subtilis scriptor atque elegans, inquit Cicero in Bruto § 35, quem iam probe audeas oratorem perfectum dicere“. idemque in oratore § 29: „dicat Attice venustissimus ille scriptor ac politissimus Lysias — quis enim id possit negare? — dum intellegamus hoc esse Atticum in Lysia, non quod tenuis sit atque inornatus, sed quod nihil habeat insolens aut ineptum.“ ibidem § 226 Lysiam alterum paene Demosthenem dixit. ut iam supra commemoravi, multi illis temporibus Lysiae orationes legerunt eiusque genus dicendi dignum esse quod imitarentur intellexerunt. quorum commemorandi videntur imprimis Dionysius Halicarnasseus et Caecilius Calactinus, quorum uterque de Lysia libros scripsit eumque laudavit.[1]) atque ille quidem (p. 188 ed. R.): „καὶ τὰ μὲν περὶ τὴν ἑρμηνείαν ἀγαθὰ τοῦ ῥήτορος ταῦτα τὸ καθαρὸν τῶν ὀνομάτων, ἡ ἀκριβεία τῆς διαλέκτου, τὸ διὰ τῶν κυρίων, καὶ μὴ τροπικῶν κατασκευῶν ἐκφέρειν· τὰ νοήματα ἡ σαφήνεια, ἡ συντομία, τὸ συστρέφειν τε καὶ στρογγυλίζειν τὰ νοήματα.... ἡ πιθανότης καὶ ἡ χάρις καὶ ὁ πάντα μετρῶν καιρός.“

Quae quum respicerent horum temporum viri docti complures, quasi tabernacula vitae suae collocarunt in tractandis Lysiae orationibus. atque quae genuinae quaeque spuriae iudicandae essent disputarunt[2]) et orationes quasdam; quum nonnulla et addita et expuncta viderentur, a librariis vel ab aliis iterum tractatas esse exposuerunt. atque hoc quidem iam antea cognoverat Hamakerus libro suo qui inscribitur „de nonnullis Lysiae orationibus“, dilucidissime autem Kirchhoffius dixit, quum sodalibus, qui eramus seminarii philologici Berolinensis, orationem duodecimam Lysiae interpretandam proposuis-

---

[1]) cf. Blass. eloqu. Graec. p. 13, 23—27, 123—134. eloqu. Att. p. 377, 378. Cic. Brut. § 38.

[2]) Hoelscherus (de vita et scriptis Lysiae), Franckenius (commentationes Lysiacae), Blassius (eloquentia Attica pagina 414—660).

sct. multi etiam nonnullas interpretati sunt ut Bremius, Rauchensteinius, Frohbergerus, omnes in sermonem patrium vertit Falkius. neque vero omnes pariter tractatae sunt. itaque ad orationes intellegendas aliquid afferre in animo habeo et disputare quidem de oratione duodevigesima, ita ut et de argumento et de ratione dicendi qua usus est Lysias pauca dicam.

## Caput I.

Ex libro manuscripto Heidelbergensi cognovimus, hanc orationem περὶ τῆς δημεύσεως τῶν τοῦ Νικίου ἀδελφοῦ ἐπίλογος inscribi. Galenus[3]) autem, qui § 2 huius orationis laudat, dicit titulum esse huic orationi κατὰ Πολιόχου. itaque quum dubium esse non possit, quin Galenus illud enuntiatum ex ea oratione quae est in manibus sumpserit, quaerendum est quid de utroque titulo censendum sit.

Constat inter omnes viros doctos, hanc orationem de qua disputaturus sum exordio perdito esse mutilam atque decurtatam. et hiatum quidem, qui est inter orationes XVII. et XVIII. in libro Palatino, multo ante quam ille codex scriberetur exortum esse.[4]) itaque tituli, quem ille codex praebet, nequaquam ratio habenda est, quum appareat eum postea additum esse neque quod Blassius[5]) putat solum ultimum verbum; quam ob rem ad Galenum transeat oratio mea. qui quum saeculo secundo post Chr. n. vixerit neque intellegi possit cur medicus doctus sua sponte titulum orationis mutaverit, putandum nobis erit hanc orationem ita ut memoriae prodidit Galenus inscriptam fuisse atque hunc titulum servandum esse, nisi forte elucebit eum argumento huius orationis repugnare. est enim apertum titulum κατὰ Πολιόχου nos docere, litem Poliocho intentam esse, et ex praepositione κατὰ elucet fore ut si causa caderet reus poena constituta afficeretur.

---

[3]) Vol. XVIII, 2. p. 657. ed. Kuehn. [4]) Blass. p. 371. [5]) p. 521.

§ 1.

Quae quum ita sint, refero argumentum orationis ad illam quam exposui significationem tituli κατὰ Πολιόχου. quae causa acta sit, e paragrapho decima quarta discimus. ibi enim haec legimus: πάντες γὰρ εἴσονται ὅτι τότε μὲν χιλίαις δραχμαῖς ἐζημίωσε (hoc praebet liber manuscriptus et subiectum Poliochus supplendum est) τὸν βουλόμενον τὴν ἡμετέραν γῆν δημοσίαν ποιῆσαι, νυνὶ δὲ κελεύων δημεῦσαι νενίκηκε καὶ περὶ τούτων δὴ ἀμφοτέρων Ἀθηναῖοι, παρανόμων φεύγοντος τοῦ αὐτοῦ ἀνδρός, τἀναντία σφίσιν αὐτοῖς ἐψηφίσαντο, hoc est, omnes non ignorabunt, quum tum mille drachmis eum qui bona nostra publicari vellet multaverit, nunc quidem Poliochum auctorem factum esse, ut bona publicarentur. verba autem quae sunt τότε μὲν χιλίαις δραχμαῖς ἐζημίωσε non ita intellegenda sunt, ut Poliochus ipse multasse dicatur — nam homini privato nec damnare nec absolvere quemquam licebat — sed nihil aliud significant nisi Poliocho auctore, qui prior τὴν ἡμετέραν γῆν δημοσίαν ποιῆσαι vellet, eum causa cecidisse.[6]) itaque ex hoc conclusum est [7]) eum, qui iudicium prius committendum proposuit, a Poliocho παρανόμων accusatum et a iudicibus mille drachmis multatum esse. hoc dilucidum videtur. neque vero idem de altera causa dici posse videtur. viri docti enim qui superioribus temporibus florebant hanc orationem item causa παρανόμων instructa habitam esse ex verbis coniecerunt, quae leguntur παρανόμων φεύγοντος τοῦ αὐτοῦ ἀνδρός. sed haec verba magnas explicandi difficultates illis praebuerunt. docent enim, id quod non potest negari, eundem de bonis publicandis iterum legem tulisse. ex quo sequitur ut, quum Poliochum alterum illud suasisse ex §§ 13, 14 apertissimum sit, nobis statuendum sit, eundem priore causa ut bona Eucratis publica fierent iudicibus persuadere conatum esse, sed causam non tenuisse. haec autem neque probarunt neque laudare potuerunt viri docti, quibus qui priorem causam intendisset, eam Poliocho auctore perdidisse videretur.

---

[6]) Blass. p. 524. [7]) id. p. 524. Hoelscher. p. 90.

Quomodo quum argumentum paragraphi decimae quartae absurdum videretur, quacunque ratione verba emendare studuerunt et quum multum referat rem intellegi, mihi liceat illustrare num quae proposuerunt scribenda melius intellegi possint.

§ 2.

Sed antequam oratio mea via ac ratione progrediatur, hoc dico causam instructam esse ut Eucratea bona publicarentur. nam ex iis quae leguntur § 21 (ubi quantam bona populo afferrent utilitatem, si in sua possessione manerent dixit orator) ἂν δ' ἐμοὶ πείθησθε, οὐκ ἐλάττω ἀπ' αὐτῶν ὑμεῖς ὠφεληθήσεσθε ἢ ἡμεῖς οἱ κεκτημένοι, ἐπεὶ καὶ νυνὶ Διόμνηστος καὶ ἐγὼ καὶ ο ἀδελφὸς ἐκ μιᾶς οἰκίας τρεῖς ὄντες τριηραρχοῦμεν, καὶ ὅταν ἡ πόλις δέηται χρημάτων, ἀπὸ τούτων ὑμῖν εἰσφέρομεν, ex his verbis, inquam, non licet conicere, periculum fuisse ne Diomnesti quoque bona publicarentur, sed ea mea quidem sententia nihil aliud significant, nisi ante hanc (alteram) litem intentam Niciae gentis neminem nisi oratorem eiusque fratrem trierarchorum muneribus functos esse, quum haec causa ageretur tum demum Diomnestum lege publica obstrictum esse ut rei publicae officia praestaret. atque haec verba quae sunt οὐκ ἐλάττω ἀπ' αὐτῶν ὑμεῖς ὠφεληθήσεσθε ἢ ἡμεῖς οἱ κεκτημένοι, ἐπεὶ καὶ νυνὶ Διόμνηστος καὶ ἐγὼ καὶ ὁ ἀδελφὸς ἐκ μιᾶς οἰκίας τρεῖς ὄντες τριηραρχοῦμεν, ita accipienda credo ut orator dicere in animo habuisse videatur: „si bona non publicabuntur, quum τρεῖς ἐκ μιᾶς οἰκίας trierarchorum muneribus fungantur, et nos οἱ κεκτημένοι — i. e. orator eiusque frater — et vos eandem ex bonis capietis utilitatem. sin ea publica fieri iubebitis, maximam afferetis calamitatem quum nobis, qui nulla praeterea bona habeamus, tum vobis, quoniam et a Diomnesto solo officia illa praestabuntur et bonis publicatis nusquam uti licebit per delatores.“ quae quum ita sint, non dubito contendere τὰ παρεληλυθότα, quorum facinorum §§ 18, 19 mentio fit, non ad gentem Niciae totam sed ad Eucratem, oratoris patrem, referenda esse. atque summo

quidem iure sumptum esse videtur, non filios Eucratis sed patrem ipsum in cives peccavisse.[8]) nam et sub XXX virorum imperio παῖδες erant (§ 10) neque quum nondum civitate uterentur eos quidquam commisisse credibile est, quod dignum esset quod post diuturnum tempus commemoraretur.

Sed redeat oratio unde aberravit. iam inquiramus qua ratione verba paragraphi quartae decimae mutaverint viri docti.

§ 3.

Atque primum quidem dicendum est, Hamakerum primum contendisse, oratione hac Poliochum παρανόμων accusari, sed filios Eucratis se defendere. nam, ut ait Franckenius (p. 125), qui virum illum doctum sequitur, „totus color orationis non convenit accusationi, sed defensioni aptissimus". Blassius autem censet, genus dicendi tale esse debuisse, sive rei contra crimen Poliochi se defenderunt, sive accusatorem causa παρανόμων intenta in iudicium vocarunt. quamquam Hamakeri sententiam probat, quod orator extrema orationis parte a syndicis benevolentiam petivit, tamquam iudicium exercerent, quod fieri non potuisset, nisi causa ex delationis genere quod vocatur ἀπογραφή sumpta esset. profecto hoc concedendum est, ratione dicendi totius orationis imprimisque ea, qua usus est orator § 13, cognita, orationem XVIII defensoriam esse. et hac de re paullo post amplius dicere in animo habeo. atque nunc quidem inquirere mihi liceat, quo modo viri docti verba § 14 emendanda esse iudicarint. fuerunt enim qui haec quae posui in initio huius paragraphi tertiae recte disputata esse rati haererent in verbis, quae sunt παρανόμων φεύγοντος τοῦ ἀνδρός, et quia hanc orationem accusatoriam falso credebant et quod Poliochum, qui quum prior causa ageretur reos defendisse narratur, utroque iudicio filios Eucratis arcessivisse et παρανόμων accusatum causa cecidisse existimabant.

---

[8]) Blassius p. 524. Franckenius p. 124. Scheibius, Vindiciae Lysiacae p. 88.

Ac quoniam hi viri docti § 14 ita, ut exposui paragrapho prima, interpretati sunt, non valde errare videntur, quod putant illis verbis παρανόμων φεύγοντος τοῦ αὐτοῦ ἀνδρός fieri ut orationis argumentum non intellegatur.

Itaque Hamakerus ea verba de quibus nunc disputavimus delenda esse censuit eumque laudavit olim Scheibius,[9]) cui hoc modo verba interposita videntur: „quia aut Poliochus" — hoc quidem non recte dictum videtur — „aut alius quis in superioribus dicebatur mille drachmis multatus esse eaque multa irrogari solebat iis, qui causa παρανόμων cecidissent, interpres aliquis hoc loco agi de eadem causa opinatus ista verba interposuisse videtur." sane non potest negari, verbis deletis offensionem illam tolli. sed aliud reliquum est quo offendor. quum enim antea filios Eucratis fovisse videretur, tum Poliochus nocere iis conatus est, ut, quantum in urbe valeret auctoritate, omnes et cives et peregrinos doceret § 13. quam ob rem si Poliochus aliter atque superioribus temporibus de eadem re sensit, arbitror oratori non licere hoc solum dicere, sed quum Poliochum se officio obstrinxisse opinari deberet, aliae res atque § 13 commemoratae (ἡγούμενος... δύναται) afferendae erant, quibus mutatio animi intellegeretur. eiusmodi res autem orator non modo non attulit, sed etiam Poliochum increpuit, quod suaderet ut ea fierent, quae populo noxia essent (§ 16) atque ἀδίκως bona publicarentur, (§ 17) et quum in urbe triginta viris florentibus remansisset neque quidquam studii in populum contulisset, criminibus fictis auram popularem affectaret (§ 19). et quum ex aliis orationibus eodem tempore habitis non ignoremus, quam pravis fuerint animis in cives ii, qui cum triginta viris amicitia coniuncti fuerant, opinor Poliochum et eo animo esse posse, quo eum fuisse orator dicit et paullo post reditum exulum auram popularem affectasse iis rebus gestis quas orator § 19 commemorat: οἳ ἐν ἄστει μείναντες ταύτην ὑμῖν οἴονται διδόναι πίστιν τῆς

[9]) p. 91.

αὐτῶν εὐνοίας, ἑτέρους κακῶς ποιοῦντας κ. τ. λ. itaque quoniam Poliochus ea quidem aetate, qua altera causa acta est, populi amans haberi volebat, mihi incredibile videtur eum ipsum, quum filiis Eucratis amicus esset, auctorem fuisse ut priorem obtinerent causam. sane potest dici, Poliochum τοὺς ὅρκους servandos proposuisse ut iudices doceret se populo amicum esse; sed sive ob hanc rem sive propter ea, quae modo dixi, Poliochus filios Eucratis defendit, quum de Poliocho disputaret, oratori dicendum fuit, qua re ille commotus aliter atque antea de eadem re sentiret. dixerit quispiam priorem orationis partem periisse et in ea quidem parte has res expositas fuisse. sed hoc mihi dubium videtur. ea enim orationis parte orator mea quidem sententia demonstrare conatus est, legem bonorum publicandorum a Poliocho contra leges latam et transitum fecit ad docendum, nec per maiorum merita in rem publicam bona publicari licere nec reipublicae publicationem bonorum utilitati futuram esse. et quae extrema posui, ea orationis parte quam traditam habemus exposita sunt.

Porro Hamakerus scribendum esse ἐζημίωσα proposuit; sed haec dicendi ratio est hominis arrogantis et qui innocentia fretus glorietur quod ipsi contigerit ut consilia inimicorum deleret. ea autem ratione uti filiis Eucratis non licuit, qui aliquod peccatum a cognatis in populum esse commissum concederent (§ 18) quique supplicibus verbis in altera causa a iudicibus peterent ut publica fieri bona vetarent. qui si ipsi auctores fuissent ut priorem causam obtinerent, id quod ἐζημίωσα significat, hac oratione non tam supplicibus usi essent verbis atque uno certe verbo rei prospere gestae mentionem fecissent. accedit etiam, si Hamakeri coniectura probatur, quod ὁ βουλόμενος τότε τὴν γῆν ἡμετέραν δημοσίαν ποιῆσαι idem atque νυνὶ κελεύων δημεῦσαι putandus est. hoc non posse iudicari, ex sequentibus apertissime apparebit. nunc quidem contra duorum illorum participiorum nexum id dictum volo, particulis τότε et νυνί inter se oppositis, idem subiectum esse statuendum.

## § 4.

Quae quum ita sint, Hamakeri conjectura repudianda videtur. itaque Scheibius, quum huius viri docti sententias de Lysia prolatas recenseret, verbum ἐζημίωσε in ἐζημιώσατε mutandum esse censuit; eumque est secutus Franckenius (p. 124). in hanc autem verbi formam fere idem cadit quod in illud Hamakerianum ἐζημίωσα. nam si hoc scribitur, non modo tempus, quo prior causa acta est, aetati, qua alterum iudicium exercebatur, opponitur sed etiam iudicia, quae de utraque causa acta sunt, contraria sunt inter se: quum antea τὸν βουλόμενον condemnavissent, iam eiusdem psephisma Athenienses probaturi esse videbantur. nam censendum est ex dicendi ratione ὅτι τότε μέν... ἐζημιώσατε τὸν βουλόμενον.... νυνὶ δὲ κελεύων νενίκηκε eundem utramque legem tulisse. ex quo apparet, quum alteram litem intenderet, Poliochum eundem fuisse auctorem ut prior ageretur causa.

Quae quum recte dicta sint, pauca dicenda videntur, ut cognoscamus quibus temporibus utraque causa acta sit. atque ab antiquis scriptoribus accepimus, quicumque iudicio commisso aut sua sponte non ageret causam publicam aut non quintam suffragiorum partem acciperet, eum non modo mille drachmis multari solere, sed etiam in posterum has et tales causas suscipere vetitum esse.[10]) atque idem in hanc causam, de qua disputo, cadit, quum quae causa de publicandis bonis agitur, ea publica sit. et qui priorem tulit legem quum mille drachmis re vera multaretur, idem causas publicas agere vetitus est. quae quum ita sint, Poliocho si priore causa cecidisset, id quod Scheibius probat, alteram agere numquam licuit. prior enim causa publica fuisse videtur. si igitur verum est, illum priorem bonorum publicandorum legem tulisse, quum filios Eucratis altero iudicio arcesseret, leges laesit. et hoc quidem eum, qui habuit orationem, non fugisse arbitror; aut ei forum non fuit

---

[10]) Schoemann. antiqq. Graec. publ. I, 510.

attingendum. ac ne Lysias quidem, qui pro reis orationem hanc scripsisse dicitur, iuris peritus esset iudicandus.

Quamquam nec Lysias nec qui hanc orationem habuit reprehendendi essent quod in Poliochum non essent invecti, quod quum priore causa cecidisset, tamen alterum iudicium exercendum proposuisset, si credere liceret, priorem causam actam esse ante annum 403. nam etiamsi accusator non modo multatus esset mille drachmis, sed etiam capitis deminutus, tamen licuisset alteram agere causam, quam post triginta viros eiectos agi constat. (cf. §§ 13, 18, 19). accepimus enim ab Andocide,[11]) Athenienses ἐπεὶ αἱ νῆες ἐφθάρησαν καὶ ἡ πολιορκία ἐγένετο (§ 73) Patroclide auctore decrevisse ut, qui capitis deminuti essent, eos restituerent. cuius beneficii cum alii tum ii, quibus non licebat accusationem componere, participes facti sunt (§ 76). si igitur statui liceret, filios Eucratis causam obtinuisse ante annum 403 atque quum triginta viris florentibus penes populum non esset ulla potestas ante 404, Poliochum in eorum numero fuisse necesse erat, quibus lege illa oblivionis lata civitate utendi et rursum causas agendi facultas data erat.

Haec res igitur si ita se haberet, priore iudicio Eucrate ipso vivo reos absolvisset populus Atheniensis atque illustrasset innocentiam patris. quo facto non mirum est quod illum pugna navali illa male facta ducem renuntiavit. ea autem repugnant verbis, quibus de peccato patris orator dixit. nam filius Eucratis a iudicibus petivit ne multis annis praeterlapsis τὰ παρεληλυθότα (§ 18) ulciscerentur. cf. § 19. καίτοι πλείων συγγνώμη μνησικακεῖν νεωστὶ κατεληλυθόσιν, ἔτι τῆς ὀργῆς οὔσης προσφάτου, ἢ τοσούτῳ χρόνῳ ὕστερον ἐπὶ τιμωρίαν τῶν παρεληλυθότων τραπέσθαι. ex hac igitur dicendi ratione elucet populum non modo crimine hoc Eucratem non absolvisse, sed etiam post reditum e Piraeo aliquod iudicium de hac re facere potuisse. priorem quidem causam rei obtinuerunt sine dubio, quod populus iure iurando

---

[11]) or. de prof. myst. §§ 75, 76.

se obstrinxerat ne quae sub triginta viris in ipsum essent peccata respiceret ulcisceretur ve[12]). quibus rebus expositis sequitur ut prior causa post annum 403 acta sit et a reis obtenta; id quod etiam ex §§ 18, 19 huius orationis conici potest. neque vero dilucide illud quidem est commemoratum et mirum est quod orator, quoniam de reditu civium in urbem disputavit, prioris causae aut criminis defensi mentionem nullam fecit. si igitur Poliochus causa priore cecidisset, ei non licuisset alteram agere. atque Kirchhoffius quidem, quum de antiquitatibus Graecorum publicis scholas haberet, censuit qui εἰσαγγελίας litem intendisset eamque perdidisset, tamen eum non in ἀτιμίαν incidisse neque aliud detrimentum accepisse, nisi ut mille drachmis multaretur. quod quamquam recte dixit vir ille doctus, tamen ad priorem causam a Poliocho actam non referendum videtur. nam Poliochus ut genere accusandi eo, quod vocatur εἰσαγγελία, usus sit, leges a civibus post reditum in urbem latas laesit atque iudices accusatorem non modo mille drachmis sed etiam capitis deminutione multassent. sive igitur ad priorem causam agendam genere accusandi eo, quod vocatur εἰσαγγελία, sive alia ratione usus est Poliochus, si iudicio altero filios Eucratis arcessivit, poterant rei eum reprehendere atque in iudicium vocare, quod legem περὶ ἀτιμίας latam violasset. neque vero hoc est factum. nam licet qui alteram tulit legem παρανόμων accusatus sit, hanc causam agi orator dicit, propterea quod, quamquam Athenienses decrevissent ne facinorum superioribus temporibus commissorum reminiscerentur, tamen iudicibus persuadere conaretur ut iudicia facerent contraria inter se. neque vero per has res licebat oratori iudicium componere; sed quod Poliochus quamvis capitis deminutus, tamen conaretur causas agere. itaque Scheibii coniectura non probanda videtur neque si antea probavit quod Hamakerus verba παρανόμων φεύγοντος τοῦ αὐτοῦ ἀνδρός expungenda proposuit neque si quum Lysiae orationes ederet, tamen ea retinuit. et forma verbi ἐζημιώσατε etiam propterea repre-

---

12) Andoc. ibid. § 81. Lysias XVIII, 17.

hendenda videtur, quod in eadem sententia orator iudices allocutus est secundae personae forma usus, deinde tertiae personae ut diceret Ἀθηναῖοι.

Quod si tempus, quo acta est prior causa, recte constitutum est, non possunt probari quae scribenda proposuerunt Meierus[13]) Franckenius[14]) Blassius[15]). e quibus Meierus παρανόμων φεύγοντος τοῦ αὐτοῦ ἀνδρός in παρανόμων διώκοντος καὶ φεύγοντος τοῦ αὐτοῦ ἀνδρός mutanda esse censuit. sed quamqam haec scribendi ratio apta est verbi formae ἐζημίωσε, tamen in hanc sententiam transferendum est idem quod supra de ἐζημίωσε dixi. Franckenius, qui illud Scheibianum ἐζημιώσατε probavit, scripsit παρανόμων φυγόντος τότε τοῦ ἀνδρὸς (νυνὶ δὲ νικήσαντος) τἀναντία σφίσιν αὐτοῖς ἐψηφίσαντο; Blassius τοῦ αὐτοῦ ἀνδρὸς τότε μὲν παρανόμων ὀφλόντος, νῦν δὲ νικήσαντος κτἑ. — haec omnia non possunt probari si de his rebus supra recte exposui.

§ 5.

Ex his igitur apparet, ab illis viris doctis huius orationis argumentum haudquaquam enucleatum esse. atque hoc factum esse equidem opinor eo, quod illi principium disputandi duxerunt ab iis verbis, quae prima sunt § 14. qua re fieri non poterat quin verbis παρανόμων φεύγοντος τοῦ αὐτοῦ ἀνδρός offenderentur. nunc autem principium exponendi ducamus ab his verbis, et ut ita disputem impellor titulo, quem esse orationi huic Lysiacae Galenus memoriae prodidit κατὰ Πολιόχου; quae inscriptio non repugnare videtur illis verbis de quibus disputaturus sum. ex illa enim sententia sequitur ut Poliochus παρανόμων accusatus sit non modo hac oratione, sed etiam priore iudicio commisso. et hoc quidem cum verbis quae sunt ὅτι τότε μὲν χιλίαις δραχμαῖς ἐζημίωσε τὸν βουλόμενον τὴν ἡμετέραν γῆν δημοσίαν ποιῆσαι ita coniungi potest ut arbitremur, Poliochum legem tulisse ne bona filiorum Eucratis publicarentur. quam legem non licere per leges quasdam suaderi quum nescio quis dixisset, hoc modo Poliochum παρανόμων accusavit. qui autem

---

[13]) de lite Attica p. 111, n. 27. [14]) p. 125. [15]) p. 524. n. 2.

hanc intendit litem, causa cecidit et eam ob rem Poliochus non modo absolutus est verum etiam auctor fuit ne, qui hanc quae in manibus est orationem habuit, bonis privaretur patriis. posteriore autem aetate Poliochus discessit ab eo consilio, quo usus erat in priore causa agenda et ipse iudicibus suadere conatus est, ut bona illa publica fierent atque, quod idem est, Athenienses contraria de eadem re iudicia facerent. quod igitur verba § 14 ita explicamus, sequimur eos qui ante Hamakerum hanc orationem duodevigesimam accusatoriam esse iudicarunt. sed quamquam negari non potest, ut Franckenii verbis utar, „totum orationis colorem non convenire accusationi sed defensioni aptissimum", hoc quidem repugnare non videtur opinioni Hoelscheri quique eum sequuntur. nam ex § 1 intellegitur, filios Eucratis „οὐ μόνον περὶ τῆς οὐσίας ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ καὶ περὶ τῆς πολιτείας, εἰ χρὴ δημοκρατουμένης τῆς πόλεως αὐτοῖς μετεῖναι." ac si his de rebus quae non sunt aestimandae parvi agitur, non mirum esse opinor quod orator ad omnes res quaecumque utiles viderentur refugit atque supplicibus usus est verbis.

Sed redeat oratio unde aberravit. interpretatus sum § 14 ita ut verba quae sunt παρανόμων φεύγοντος τοῦ αὐτοῦ ἀνδρός intellegi possint. iam vero quaeritur utrum Poliochus dissuaserit ne bona Eucratea publica f i e r e n t, an suaserit ne publica m a n e r e n t atque quo modo factum sit ut post reditum exulum in urbem ille hanc ferret legem. ac primum quidem ex verbis quae leguntur § 14 ὅτι τότε μὲν χιλίαις δραχμαῖς ἐζημίωσε τὸν βουλόμενον τὴν ἡμετέραν γῆν δημοσίαν π ο ι ῆ σ α ι, νυνὶ δὲ κελεύων δημεῦσαι νενίκηκε κτἑ. coniciendum videtur, eum qui Poliochum lite παρανόμων intenta in iudicium vocasset suasisse ut bona oratoris publica f i e r e n t. et ex eo sequitur ut Poliochus dissuaserit ne bona publicarentur. neque vero haec lex iusto iure ferri poterat, nisi Athenienses dubitaverunt nescio quam ob rem, utrum bona illa ex legibus certis atque ratis publicanda essent an per leges quasdam non liceret. qui quum hoc deliberarent, Poliochus hoc dixisse videtur leges quasdam bonis Eucrateis publicandis violatum iri. qui autem Poliochum παρανόμων

accusavit, is docuisse putandus est, esse cur qui hanc orationem habuit eiusque frater iusto iure privarentur rebus familiaribus. et quid hic protulerit credo cognosci posse ex hac oratione ipsa. §§ 18, 19 enim in memoriam iudicum orator redegit quae cives post reditum e Piraeo cepissent consilia; eos decrevisse ne scelera in ipsos commissa ulciscerentur. § 18 καὶ ταῦϑ' ὑμεῖς, inquit, ἔγνωτε νεωστὶ κατελϑόντες, ὀρϑῶς βουλευόμενοι· ἔτι γὰρ ἐμέμνησϑε τῶν γεγενημένων συμφορῶν καὶ τοῖς ϑεοῖς εἰς ὁμόνοιαν εὔχεσϑε καταστῆναι τὴν πόλιν μᾶλλον ἢ ἐπὶ τιμωρίαν τῶν παρεληλυϑότων τὴν μὲν πόλιν στασιάσαι, τοὺς δὲ λέγοντας ταχέως πλουτῆσαι. § 19 καίτοι πλείων συγγνώμη μνησικακεῖν νεωστὶ κατεληλυϑόσιν, ἔτι τῆς ὀργῆς οὔσης προσφάτου, ἢ τοσούτῳ χρόνῳ ὕστερον ἐπὶ τιμωρίαν τῶν παρεληλυϑότων τραπέσϑαι κτέ. orator igitur gravissime dicit Athenienses paullo post reditum in urbem τὰ παρεληλυϑότα, quae eadem sunt quae αἱ γεγενημέναι συμφοραί (§ 18), noluisse ulcisci petitque ne τοσούτῳ χρόνῳ ὕστερον ea puniant. itaque ex hoc apertissime apparet, oratorem non ignorasse videri, per peccata Eucratis nescio quae populo iure licuisse filios eius punire. atque videtur ad hanc quidem (sc. alteram) legem suadendam Poliochus illa scelera antea commissa τὰ παρεληλυϑότα protulisse. quamquam non posse dubitari opinor, quin qui, quum prior causa ageretur, agros filiorum Eucratis publicari iuberet, ex iisdem rebus nisi totam accusationem, at certe partem quidem aliquam causae sumpserit. atque ut ex §§ 18, 19 elucet, licet τὰ παρεληλυϑότα nondum ulla poena affecta essent, tamen haud immemores iuris iurandi, quo se obstrinxissent ne τῶν πολιτῶν μηδενὶ πλὴν τῶν τριάκοντα καὶ τῶν ἕνδεκα καὶ τῶν δέκα[16]) (cum Valesio et Schneidero) μνησικακεῖν vellent, Poliochum qui ne bona publicarentur suasisset iudices probarunt. quae quum ita sint, intellegi non potest qua re commotus ille civis hanc legem tulerit ut παρανόμων accusaretur. neque enim potest credi, quum Eucrates inter annos 404 et 403 mortem occubuisset, triginta viros bona pu-

---

[16]) Andoc. I. § 90.

blicasse eaque paullo post reditum exulum in urbem possessoribus reddita esse. ac si quod posui ita esset et Athenienses τὰ παρεληλυθότα in animo non habuerunt ulcisci, non est quod tum quidem Poliochus suaserit ne bona publica fierent quippe quum ante eum nemo hoc Atheniensibus probare aggressus esset. sin quis ante Poliochum tale quid protulisset, Poliocho iusto iure licuisset id quod vellet suadere.

Circumspectis omnibus rebus rationibusque subductis intelleximus et recte dicta esse quae § 14 exposita sunt; neque argumentum huius paragraphi rebus gestis repugnare; neque ab illis viris doctis qui hanc orationem tractarunt verba § 14 apte emendata esse. itaque nunc, si placet, quid iudicem de huius orationis argumento paucis exponam.

## § 6.

Atque primum quidem dico me quidem Hoelscherum qui hanc orationem esse accusatoriam voluit probare. ad quam sententiam confirmandam etiam aliam rem afferri posse credo. constat enim Athenienses decrevisse, ἄν τις δικάζηται παρὰ τοὺς ὅρκους, ἐξεῖναι τῷ φεύγοντι παραγράψασθαι, τοὺς δὲ ἄρχοντας περὶ τούτου πρῶτον εἰσάγειν, λέγειν δὲ πρότερον τὸν παραγραψάμενον ὁπότερος δ'ἂν ἡττηθῇ, τὴν ἐπωβελίαν ὀφείλειν.[17] lata autem haec lex erat, quod ipsum is qui orationem illam habuit Isocrateam dixit, ut qui iura iuranda non respicerent, poenas darent. legimus autem in hac quidem, de qua sermo est, oratione, Poliochum id egisse ut iudicibus persuaderet ne τὰς διαλλαγὰς καὶ τὰς συνθήκας contemnerent atque dissolverent. cuius rei causa Archinus illam legem tulerat, ut ait Isocrates,[18] ἐπειδὴ γὰρ ἐκ Πειραιέως κατελθόντες ἐνίους ἑωρᾶτε τῶν πολιτῶν συκοφαντεῖν ὡρμημένους καὶ τὰς συνθήκας λύειν ἐπιχειροῦντας, βουλόμενοι τούτους τε παῦσαι καὶ τοῖς ἄλλοις ἐπιδεῖξαι κτέ. itaque non dubito dicere quum alterum iudicium exerceretur, forensi eo dicendi genere quod παραγραφή vocatur uti oratori non modo licuisse sed etiam

[17]) Isocrates or. XVIII. § 2. [18]) ibid.

ut causam obtineret opus fuisse. atque huic sententiae respondere videtur titulus quo addito oratio iudicatur accusatoria. nam si reus cadit, multatur poena quadam. qui autem in aliquem τῇ παραγραφῇ χρῆται, etsi ipse antea eadem causa arcessitus est, tamen idem accusator dici potest. nam aggreditur iudices docere, non iusto iure se in iudicium vocari atque accusatorem quodammodo παρανόμων accusat. dixerit quispiam, hoc aliquid esse, sed nequaquam in isto omnia; orationem enim Isocrateam, qua in Callimachum causa τῆς παραγραφῆς intenta animadverteretur, inscribi παραγραφὴν πρὸς Καλλίμαχον, non κατὰ Καλλιμάχου. de praepositione quidem quae est πρός nihil certi afferre possum; hoc autem constat, vocem quae est γραφὴ πρός τινα significare, reum, si causa caderet, non pecunia multari. et ea sententia transferri potest in illam Isocrateam orationem; nam Callimachus, si orator causam obtineret, nihil nisi triginta drachmas (cf. § 3) perdere poterat, id quod antea lege quadam ratum erat. neque vero diiudicare possum num et παραγραφαὶ πρός τινα et παραγραφαὶ κατά τινος intendi potuerint. quamquam quum non possit dubitari quin causa eiusmodi, propter quam oratio XVIII composita esse videtur, Lysiae temporibus agi quiverit, concedendum esse puto, id quod modo dixi, qui orationem Lysiacam XVIII habuit ei ut causam obtineret hoc defendendi genere utendum fuisse. neque vero quidquam reperitur quod ad illud causae genus pertineat; ne tum quidem orator illius legis rationem habuit, quum a iudicibus peteret ne multis annis post τὰ παρεληλυθότα ulciscerentur. itaque dicendum videtur, illam legem aut quum haec causa ageretur abrogatam fuisse — quod incredibile videtur — aut in ea parte orationis quae non est tradita allatam esse atque expositam, ut in extrema orationis parte praetermitti posse videretur. si igitur res se ita habet, verba παρανόμων φεύγοντος τοῦ αὐτοῦ ἀνδρός non possunt servari, et hoc etiam dilucidius ex sequentibus apparebit. sed hoc de altera causa.

Iam inquiramus priorem causam. atque Isocratea illa oratione novimus, qui causa παραγραφῆς caderet eum τὴν ἐπωβελίαν ὀφείλειν,

h. e. non modo mille drachmis multari, sed etiam in posterum has et tales causas agere vetari.[19]) itaque quum qui post reditum in urbem prior suasisset ut bona Eucratea publicarentur, mille drachmis multatus esset (§ 14), potest aliquis credere, filios Eucratis tum quidem nulla alia defensione nisi Archinea lege prolata absolutos esse. et si hoc statuimus, verbum ἐζημίωσε ita accipiendum est ut dicamus, quum filiis Eucratis

---

[19]) cf. Schoemann. antiqq. Graec. I. p 517. — Mihi liceat hoc fusius exponere. qui orationem XVIII Isocrateam habet, haec verba facit § 3 δεινὸν οὖν ἡγησάμην, εἰ τῶν νόμων οὕτως ἐχόντων — h. e. Ἀρχίνου τοῦτον τὸν νόμον εἰπόντος — ἐγὼ περιόψομαι τὸν μὲν συκοφάντην ἐν τριάκοντα δραχμαῖς κινδυνεύοντα, ἐμαυτὸν δὲ περὶ τῆς οὐσίας ἁπάσης ἀγωνιζόμενον. et quicumque haec legit, ei non est credendum, τὴν ἐπωβελίαν in triginta drachmis solvendis positam esse; sed illa verba ita explicanda videntur ut opinemur, Callimachum (qui bona publicari iussit) etiamsi causa caderet, nisi reus ad illam legem Archineam confugeret, triginta drachmis multari. quae pecunia pertinet ad τὰ πρυτανεῖα (§ 12); orator enim §§ 11, 12 eiusdem orationis dicit, Callimachum se in iudicium vocare voluisse, qua causa si cecidisset, futurum fuisse ut ipse decem milibus drachmarum multaretur. ac quia aliquem testem adhiberi iussisset, ὡς οὐκ εἰσαγώγιμος ἦν ἡ δίκη διαίτης γεγενημένης, hunc testem Callimachum non in iudicium vocasse εἰδότα, ὅτι, εἰ μὴ μεταλάβοι τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων, τὴν ἐπωβελίαν ὀφλήσει, πείσαντα δὲ τὴν ἀρχὴν πάλιν τὴν αὐτὴν δίκην ἐγράψατο, ὡς ἐν τοῖς πρυτανείοις μόνον κινδυνεύσοντα. quo facto illa causa agebatur. et id quidem recte dictum esse puto. deinde ex eadem oratione apparet, vocem epobeliae recte explicatam esse. § 35 haec legimus, οἶμαι δ'αὐτὸν (sc. Καλλίμαχον) ὀδυρεῖσθαι τὴν παροῦσαν πενίαν καὶ τὴν γεγενημένην αὐτῷ συμφορὰν καὶ λέξειν, ὡς δεινὰ καὶ σχέτλια πείσεται, εἰ τῶν χρημάτων, ὧν ἐπὶ τῆς ὀλιγαρχίας ἀφῃρέθη, τούτων ἐν δημοκρατίᾳ τὴν ἐπωβελίαν ὀφλήσει, καὶ εἰ τότε μὲν διὰ τὴν οὐσίαν τὴν αὑτοῦ φυγεῖν ἠναγκάσθη, νυνὶ δ' ἐν ᾧ χρόνῳ προσῆκεν αὐτὸν δίκην λαβεῖν, ἄτιμος γενήσεται. atque hoc iudicium de Callimacho facturos esse iudices, si iura iuranda respicerent, orator dixit (§ 35 in.); dicendum autem est, causam quam intendisset Callimachus privatam fuisse, quum de illius rebus familiaribus ageretur; et qui in epobeliam incideret, cum non mille drachmis multari, sed minores pecunias solvere. ea autem causa quae Lysiae oratione tradita est publica est et qui talem perderet, mille drachmis eum multari constat; sed in hac re utraque causa et ab Isocrate et a Lysia memoriae prodita consentit quod, qui votis violatis causa cecidissent, capitis deminuerentur. itaque puto legem illam Archineam ad privatas et ad publicas causas pertinere et ab Isocrate eam legis partem commemoratam esse, cuius ratio habenda esset quum causa privata esset.

non liceret forum attingere, Poliochum eorum causam defendisse (cf. § 10). quod si ita esset, desideramus graviora argumenta, quibus commotus rebus Poliochus posterioribus temporibus a consilio suo discesserit atque eos accusaverit quos defendisset. neque vero ἐζημίωσα probari potest neque quod Scheibius voluit ἐζημιώσατε ex iisdem rebus quas supra fuse lateque exposuisse videor.

Ut quae disputavi paucis complectar, si mihi contigit ut docerem defendendi rationem quae παραγραφή vocatur aptissimam fuisse utrique causae, videntur sine dubio verba παρανόμων φεύγοντος τοῦ αὐτοῦ ἀνδρός non servanda; et si neglegamus quae de ἐζημίωσε supra disputavi, Meierus qui putat verba illa in παρανόμων διώκοντος καὶ φεύγοντος τοῦ αὐτοῦ ἀνδρός mutanda esse aptissimam sententiam intellexisse videtur, quamquam quaedam contra dicendi rationem proferri possunt.

## § 7

Quoniam de utraque causa disputavi, de facinoribus Eucratis antea commissis (τὰ παρεληλυθότα) pauca dicenda videntur. quamquam igitur de viro per quem licuisse videtur Poliocho accusationem componere viri docti inter se consentiunt, tamen de scelere Eucratis inquirendo inter se discrepant. Blassius[20]) quidem nihil certi de scelere attulit, sed nonnullas res coniciendo ipse proposuit. Franckenius[21]) hoc dixit „per psephisma propositum esse videri, quo damnatorum (sub triginta viris) bona quae civitas aut possederat aut reliquerat in possessione liberorum, fisco vindicarentur.“ hoc nunc quidem praeterire mihi liceat. Scheibius Eucratem maiestatem populi laesisse contendit[22]). videtur hoc quidem aliquid esse. § 19 enim legimus, καίτοι πλείων συγγνώμη μνησικακεῖν νεωστὶ κατεληλυθόσιν, ἔτι τῆς ὀργῆς οὔσης προσφάτου, ἢ τοσούτῳ χρόνῳ ὕστερον ἐπὶ τιμωρίαν τῶν παρεληλυθότων τραπέσθαι κτέ. neque haec quidquam aliud significant nisi sub XXX virorum imperio Eucratem aliquid

[20]) p. 524. [21]) p. 124. [22]) p. 88.

commisisse in rem publicam vel in populum eumque auctorem fuisse cum aliis ut populus in Piraeum expelleretur. nam orator ne causa caderet post reditum e Piraeo opportunissimum tempus fuisse τὰ παρεληλυθότα puniendi addidit. praeterea ut peccatum Eucratis rerum novarum studium fuisse demonstret, Scheibius hoc affert. liceat mihi verba Scheibii ipsa proferre quum necessarium sit ut totam demonstrandi rationem intellegamus. „nam si fovisset, inquit, populum qui tum paucorum dominationem affectabant, vix eum invitassent ut summi imperii honore secum uteretur.“ — „Eucrates a partibus Lacedaemoniorum stetit, quorum potissimum opera ille futurum esse putaverit ut respublica optime mutaretur. at, inquit quispiam, repudiavit ille dominatus societatem mortemque imperio praetulit. sane quia conversam quidem voluit rempublicam, sed non voluit per huius modi homines, quorum iniquitatem, incuriarum cupedinem, avaritiam, immanitatem haud dubie norat, non voluit paucorum dominationem sed fortasse quum ipse ex optimatibus, maioresque eius iam essent horum causam secuti imperium optimatium affectabat. sed quum aliam diversamque ab ea quam animo suo informaverat parari videret civitatis formam, summa ope novis rebus reluctatus mortem oppetiit.“

Ut paucis complectar quae fusius exposuit Scheibius, Eucratem populo Atheniensium inimicum fuisse et cum Lacedaemoniis rempublicam conversum iri sperasse putat. et quoniam vidisset id agi ut oligarchia constitueretur, eum saluti populi studuisse. manifestum igitur est quae § 4 et § 11 scripta sunt (καὶ ἠξίου (Διόγνητος) Παυσανίαν βοηθῆσαι καὶ διὰ τὴν φιλίαν καὶ διὰ τὴν ξενίαν τὴν ὑπάρχουσαν), ea inter se coniungi virum doctum voluisse. quamvis bene haec exposita esse videantur, tamen rem in dubitationem vocare cogor. nam ex § 14 elucet, Eucratem quum post pugnam navalem ad flumen quod Αἰγὸς ποταμοί vocatur male factam dux renuntiatus esset, ilico a populo stetisse. quod si Scheibius recte disputavit, Eucrates illis temporibus intellexit id agi ut oligarchia constitueretur. et hoc quidem affirmari videtur § 44 orationis XII, ubi Lysias iudices monuit,

post cladem acceptam quinque ephoros constitutos esse qui illis temporibus fungerentur iis muneribus ut quidquid vellent impune agerent. οὕτως, inquit Lysias, οὐχ ὑπὸ τῶν πολεμίων μόνον ἀλλὰ καὶ ὑπὸ τούτων πολιτῶν ὄντων ἐπεβουλεύεσθε ὅπως μητ' ἀγαθὸν μηδὲν ψηφιεῖσθε πολλῶν τ' ἐνδεεῖς ἔσεσθε. et in § 6 orationis XIII ἐν δὲ τῷ χρόνῳ τούτῳ, inquit idem, οἱ βουλόμεοι νεώτερα πράγματα ἐν τῇ πόλει γίγνεσθαι ἐπεβούλευον. ad hoc igitur optimatium studium sine ulla dubitatione verba pertinent haec (or. XVIII § 4) τῶν ἐπιβουλευόντων τῷ πλήθει.

Porro Scheibius dixit, illis temporibus „qui paucorum dominationem affectarent“ eos quum alios tum Eucratem „invitasse ut summi imperii honore secum uteretur“; et illud intellegi potest non modo ex huius orationis § 4 — παρακαλούμενος μετέχειν τῆς ὀλιγαρχίας ὑπὸ τῶν ἐπιβουλευόντων τῷ πλήθει — verum etiam ex § 76 orationis XII, ubi de triginta viris constitutis disputat Lysias his verbis usus. „οὕτως γὰρ τὴν ὑμετέραν ἀσθένειαν ἑώρων καὶ τὴν αὐτῶν δύναμιν ἠπίσταντο, ὥστε πρότερον ᾔδεσαν τὰ μέλλοντα ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πραχθήσεσθαι.“ de quibus verbis quae Frohbergerus[23]) disputavit legenda sunt. sed Eucrates eos qui eum invitabant ut summi imperii honore secum uteretur noluit sequi, sed μᾶλλον εἵλετο πράττων ὑπὲρ τῆς ὑμετέρας σωτηρίας ἀπολέσθαι ἢ ἐπιδεῖν τὰ τείχη καθαιρούμενα .... καὶ τὸ ὑμέτερον πλῆθος καταδουλούμενον.

Videmus igitur Eucratem clade ultima accepta usque ad mortem a populi partibus stetisse. at fortasse dixerit quispiam Eucratem ab iis quidem optimatibus stare potuisse qui magna uterentur moderatione in imperio nanciscendo. neque vero sumi posse videtur hoc, quum qui illis praeerat Theramenes se cum reliquis optimatibus rerum novarum cupidis coniunxerit. itaque nemo Atheniensis Eucrati postea obicere potuit quod illa aetate patriam prodidisset. quamquam quod filii τῶν παρεληλυθότων mentionem fecerunt nihil reliquum est, nisi ut ante annum 404 Eucratem peccavisse in populum credendum videatur.

---

[23]) orationes Lysiae selectae I. p. 76.

Ex Andocidis quidem oratione quae inscribitur „περὶ μυστηρίων“ intellegimus, in eorum numero quorum nomina de conversis hermis (§ 34) ad senatum delata sunt, Eucratem quendam[24]), (§ 47) Niciae filium, fuisse, quem cum reliquis propinquis absolutum esse Andocides memoriae prodidit. ad quam causam peccatum quominus referamus, et illud nos impedit, quod reis absolutis non erat, quod bona publicarentur, et ipsa oratoris verba (§§ 18, 19) ἐπὶ τιμωρίαν τῶν παρεληλυθότων τραπέσθαι obstant. postremo crederes, scelus nescio quod ab Eucrate commissum esse spatio temporis, quod est inter cladem Siciliensem acceptam et annum 404; fortasse unum ex quadringentis eum fuisse. sed huic explicandi rationi repugnant haec: primum quadringenti fugerunt et Athenis captis sine dubio revocati sunt[25]). quod si Eucrates, quum in numero quadringentorum esset, exul factus est, clade maxima accepta fieri non potuit ut dux renuntiaretur. nam ex Xenophontis hellenicis II, 2, 4 recte Curtius[26]) coniecisse videtur, duces paullo post nuntium de illa clade acceptum creatos esse. neque ex eadem re coniciendum videtur, quum in urbe versaretur, Eucratem in populum peccavisse. nam si ita esset, ex verbis ἐπὶ τιμωρίαν τῶν παρεληλυθότων τραπέσθαι appareret, Eucratem ad id tempus nondum punitum fuisse (id quod vix credi potest) neque Athenienses eum creassent ducem. sin poenas dedisset, cives de clade illa certiores facti, quum ἄτιμος esset, tum quidem Eucratem ducem creare non potuerunt[27]) quum autem Lysander, ut narrat Xenophon II, 2, 10, Athenas obsidione circumdedisset, Patroclide auctore tum demum decretum est ut cives capite deminuti civitatis participes fierent. ex hoc igitur sequitur ut quum dux esset, quae res oratori multum momenti habere videtur, Eucratem neque exulem fuisse neque etiamsi in urbe mansisset, poenas rei cuiuscumque reipublicae noxiae dedisse putemus. accedit quod, cum orator § 18 τὰ παρεληλυθότα cum verbis τῶν γεγενημένων coniunxerit, ea in eam aetatem, qua

---

[24]) Blass. p. 523, Hamaker. p. 64. [25]) Andoc. I. § 80. — [26]) hist. Graec. II. p. 708. [27]) Andoc. I. § 73.

triginta viri magna in cives utebantur crudelitate, incidisse sunt iudicanda. sed ad eam sententiam pauca nobis addenda sunt; orator enim dicit ἤδη γεγενημένης τῆς τελευταίας ναυμαχίας populum cognovisse quo in cives fuisset animo Eucrates. tenendum igitur est, Eucratem beneficia in populum contulisse ilico clade accepta atque ante constitutos quoque triginta viros. cf. § 4 ᾑρημένος καὶ παρακαλούμενος μετέχειν τῆς ὀλιγαρχίας ὑπὸ τῶν ἐπιβουλευόντων τῷ πλήθει, οὐκ ἠθέλησεν αὐτοῖς πείθεσθαι κτέ; et animi patriae amantis fuit non modo mortem voluntariam occumbere verum etiam, id quod ex morte intellegitur, cum optimatibus, qui foedere cum Lacedamoniis icto civitati praeessent, res communes habere nolle; hoc animo autem Eucratem fuisse ne ipsi quidem inimici negare potuerunt.

Quum igitur neque hac oratione neque aliis aliunde petitis rebus definire quae fuerint τὰ παρεληλυθότα neque quae eodem tempore et per scelus commissa (§§ 18, 19) et bene gesta (§ 4) eadem oratio commemorat, inter se coniungere possimus, ideo in dubitationem vocanda mihi videntur non modo commemoratio rerum ab Eucrate gestarum causaeve sed etiam quae Scheibius hac de re disputavit. quod autem hic dicit, eos qui oligarchiae studerent non fuisse adhortaturos Eucratem, si illum partes populares non sequi ignorassent, hoc quidem, inquam, recte dictum videtur. neque vero propterea est statuendum crimen laesae maiestatis; nam hoc scelus ante illam pugnam navalem male factam commissum esse nobis est credendum, et eam quidem opinionem supra refellisse videor.

Hoc loco dicere mihi liceat, inter Diognetum et Pausaniam amicitiam fuisse, non eam qua Niciae gens cum republica Lacedaemoniorum iuncta erat. ex quo Scheibius haud recte coniecisse videtur, Eucratem a partibus Lacedaemoniorum stetisse; nam civi alienae reipublicae civis amicus esse potest etiamsi illius civitatis administrationem non probat; idemque dici potest de eo qui πρόξενος alienae civitatis est.

Sequitur ut paucis examinem, quare factum esse Francke-

nius putet ut accusatio componeretur. atque ille: „propositum fuisse videri a Poliocho psephisma, quo incertum quo praetextu, damnatorum bona quae civitas aut possederat aut reliquerat in possessione liberorum, fisco vindicarentur." constat quidem triginta viros bona eorum qui auctoribus ipsis mortem obiissent publicavisse. ac ne hoc quidem dubium est quin, quum exules e Piraeo in urbem rediissent, res ab oligarchis antea publicatae propinquis civium iniuste necatorum redditae sint[28]. et haec quidem res apparet ex orationis XVI Isocrateae §§ 45 et quae sequuntur. ea enim oratione filius Alcibiadis questus est, quod iis bonis, quae populus, quanta liberalitate benevolentiaque erat post reditum in urbem, pro rebus a triginta viris publicatis inter cives partitus erat, privaretur ab inimicis. sane haud difficile fuisse videtur filium Alcibiadis expertem liberalitatis illius fieri. neque vero tam facile intellegi potest, qua re Eucratis bona in posterum publica fieri accusatores iusserint. si enim is, qui priorem legem tulerat, bona Eucratis filiis reddita, ut τιμωρία τῶν παρεληλυθότων esset, iterum publicanda esse censuit, rursum inquirendum est, id quod supra dixi, quam ob rem triginta viri, quamquam Eucrates peccavisset in populum, post mortem bona publicarint[29]. sin nihil aliud in lucem proferre quivisset accusator ad legem suadendam nisi triginta viros bona publicasse, paullo post tyrannos eiectos ei aliquid humani accidere potuisset. Athenienses enim mille drachmis eum multare non satis habuisse puto[30].

Hoc igitur reprehendendum videtur quod Franckenius verba, quibus usus est (τὰ παρεληλυθότα) orator, neque respexit neque ex his peccatis accusationem sumptam esse credidit.

Facere non possum quin quam alteram rem Blassius posuit[31]) item refutem; neque enim scelus, quod finxisse accusatores viro docto videntur, potest appellari τὰ παρεληλυθότα, de

---

[28]) Curtius l. c. III, p. 45. [29]) hanc sententiam praebent §§ 18, 19, §§ 4, 5 neglectis. [30]) Blass. l. c. p. 524. [31]) l. c. p. 524. in.

quibus verbis quoniam multa supra dixi, nunc praeterire mihi liceat. sed haec hactenus.

Circumspectis omnibus rebus rationibusque subductis dicendum est, de scelere Eucratis adhuc nihil certi verive allatum esse neque, etsi oratio non integra iudicatur, quum prior pars orationis (§§ 1—5) cum causa nullo modo coniungi possit,[32]) fieri posse ut quod fide dignum sit unquam dicatur.

## Caput II.

Quoniam de argumento huius orationis, de qua disputo, causaque disseruimus, restat ut ratio dicendi qua orator usus est paucis inquirenda videatur.

Ac non modo adversarios peccato Eucratis quolibet usos esse ut legem iure latam esse demonstrarent, verum etiam reos concedere a suo patre aliquid iniusti commissum esse, capite priore exposuisse videor. quam ob rem miror quod orator in orationis exordio exclamavit, ἐνθυμήθητε τοίνυν, οἷοί τινες ὄντες πολῖται καὶ αὐτοὶ καὶ ὧν προσήκοντες ἀδικοῦμεν ἐλεεῖσθαι ὑφ' ὑμῶν καὶ τῶν δικαίων τυγχάνειν, h. e. si interpretamur, considerate igitur, iudices, et quales nos ipsi cives et quibuscum genere coniuncti, a vobis misericordiam petamus et ut iusta omnia consequamur incuria affecti.“ deinde huius rei documento esse credit orator Niciae res gestas, Eucratis amorem in populum et alia; et in huius quidem moribus factisque laudandis quicumque etiam extremam orationis partem legerit, sine dubio desiderabit peccati cuiuslibet rationem haberi. neque vero id est factum, verum etiam Eucratis gloria ita celebratur, ut et aurae popularis studiosus fuisse neque quidquam sceleris in populum commisisse magnamque attulisse utilitatem videatur. qua re cum animum offendi contendo, non magnopere errare videor. at

---

[32]) argumenta ex re petita supra attuli; reliqua ex dicendi ratione sumpta proferam in capite altero.

dici potest, orationes Lysiae nobis ita traditas esse ut codex primarius iam truncatus esse facile cognoscatur, et hac re factum esse ut non modo pars extrema orationis XVII sed etiam pars prior huius de qua disputamus orationis desideraretur. atque de oratione XVII quidem quam recte illud dictum sit, exponere meum non est; sed in hac oratione, quantum et ex Eucratis gloria et ex peccato quolibet commemorato, et omnino ex orationis prima parte colligi potest, ullam rem, quae cum scelere nescio quo Eucratis aliqua teneretur coniunctione, supra expositam esse negaverim[33]. at Blassius[34]) putat, partem priorem qua contineretur probatio periisse. videtur particula quidem τοίνυν (§ 1) hanc explicandi rationem desiderare; sed quicumque § 1 legerit, eo perducetur ut credat, enumeraturum esse oratorem res bene gestas et a maioribus et ab ipso, ut scelus a se vel ab alio eiusdem generis — quem eadem qua oratorem esse aetate necesse est — commissum excusaret iudicumque animos mitigaret. neque quemquam qui paragraphos duodecim quae primae sunt perlegerit, suspicaturum esse opinor, oratorem scelere a patre commisso his necessitatibus implicatum esse. sed quisquis causam quae hac oratione agitur inquisiverit, profecto concedet, ea orationis parte, quae probatio usurpatur, oratorem aggressum fore Eucratis scelus (τὰ παρεληλυθότα) excusare et docere bona contra leges publicanda proponi atque ad hanc rem illustrandam omnibus rebus, quaecumque aut ex causa ipsa aut ex urbis statu petitae sibi commodo essent, usum fore. deinde, si omnes has defensiones attulisset, ex more vel lege forensi futurum fuisse ut ad virtutes vel suas vel maiorum refugeret ad iudicum animos misericordia afficiendos. neque vero mea quidem sententia, si Eucratis peccatum excusaret, illius virtutes cum reliquorum cognatorum meritis in rempublicam laudare filio licuit, tamquam Eucrati, aeque ac reliquis maioribus qui nominantur, nihil cum causa ipsa esset.

Ad hoc accedit primum quod virtutibus maiorum celebra-

---

[33]) cf. Cap. I. §. 3 extr. [34]) l. c. p. 522.

tis §§ 13—20 quaedam afferuntur quae probationi vel argumentationi similia videntur. illis enim paragraphis exponit orator quum alia tum Eucratis peccati ulciscendi post reditum civium e Piraeo opportunissimum fuisse tempus. et id quidem aptum mihi videtur quod, quum Eucrates ipse defenderetur (sc. in probatione), suo iure afferretur. deinde § 1 orator se iudices docturum esse, quales cives (sc. boni) filii Eucratis sint, pollicetur. sane fecit quod promiserat; neque vero fecit mentionem eius rei maioribus laudatis sed quum de causa ipsa aliquid disputavisset tum demum merita in populum commemoravit, ita tamen ut appareat oratorem haec verba facere in animo non habuisse, quia pollicitus esset; sed quum de bonis iniuste publicatis in universum (§ 20) disputaret, ad has res explicandas munerum ab ipso acceptorum commemoratio utilis videbatur.

Haec in universum de paragraphis duodecim, quae primae leguntur. porro mihi mirum videtur, quod haud pauca in hac oratione insunt, quae et simili modo et fere iisdem verbis exposita sunt in Isocrateis orationibus XVI et XVIII. quod quo manifestius appareat, partes inter se consentientes componam.

| Lys. XVIII. | Isocr. or. |
|---|---|
| § 1. οὐ γὰρ μόνον περὶ τῆς οὐσίας ἀγωνιζόμεϑα, ἀλλὰ καὶ περὶ τῆς πολιτείας, εἰ χρὴ δημοκρατουμένης τῆς πόλεως ἡμῖν μετεῖναι. | XVII, 46. καὶ τὸ μὲν ἔγκλημ' ἐστὶ περὶ χρημάτων, ἀγωνίζομαι δ' εἰ χρὴ μετεῖναί μοι τῆς πόλεως. |
| §4. παρακαλούμενος μετέχειν τῆς ὀλιγαρχίας ὑπὸ τῶν ἐπιβουλευόντων τῷ πλήϑει οὐκ ἠϑέλησεν αὐτοῖς πείϑεσϑαι κτέ. | ib. § 5. οἱ γὰρ το πρῶτον ἐπιβουλεύσαντες τῷ δήμῳ καὶ καταστήσαντες τοὺς τετρακοσίους, ἐπειδὴ παρακαλούμενος ὁ πατὴρ οὐκ ἤϑελε γενέσϑαι μετ' αὐτῶν κ. τ. λ. |
| § 5. οὐκ ἀπελαυνόμενος τῆς πολιτείας, οὐδ' ἰδίας ἔχϑρας | ib. § 36. οὐ γὰρ ἀπελαυνόμενος ἀπὸ τῆς ὀλιγαρχίας, |

υπαρχούσης πρὸς τοὺς ἄρξειν μέλλοντας, ἀλλ' ἐξὸν αὐτῷ καὶ τῶν τριάκοντα γενέσθαι καὶ μηδενὸς ἔλαττον δύνασθαι, μᾶλλον εἵλετο ὑπὲρ τῆς ὑμετέρας σωτηρίας ἀπολέσθαι ἢ ἐπιδεῖν τὰ τείχη καθαιρούμενα κτέ.

§ 13.....ὅτι πλείστου ἂν ποιήσαιτο Πολίοχος τοῦτον τὸν ἀγῶνα κατορθῶσαι, ἡγούμενος αὐτῷ καλὴν εἶναι τὴν ἀπόδειξιν.... ὅτι Ἀθήνησι τοσοῦτον δύναται, ὥσθ' ὑμᾶς τοὺς αὐτούς, περὶ ὧν ὅρκους ὀμωμόκατε, ὑμῖν αὐτοῖς τὰ ἐναντία ποιεῖν ψηφίζεσθαι.

§ 19. ὑπὸ τοιούτων πεισθέντας, οἳ ἐν ἄστει μείναντες ταύτην ὑμῖν οἴονται διδόναι πίστιν τῆς αὐτῶν εὐνοίας κτέ.

§ 15. οὐκ οὖν αἰσχρόν, εἰ ἃ μὲν Λακεδαιμονίοις συνέθεσθε βεβαιώσετε, ἃ δὲ αὐτοῖς ἐψηφίσασθε οὕτω ῥᾳδίως διαλύσετε.

καὶ τὰς μὲν πρὸς ἐκείνους συνθήκας κυρίας ποιήσετε, τὰς δὲ πρὸς αὐτοὺς ἀκύρους;

§ 19.... οἳ ἐν ἄστει μείναντες ταύτην ὑμῖν οἴονται διδόναι πίστιν τῆς αὐτῶν εὐνοίας, ἑτέρους κακῶς

ἀλλὰ παρακαλούμενος ἦν δημοτικός. καὶ πολλάκις ἐκγενόμενον αὐτῷ μὴ μόνον μετ' ὀλίγων τῶν ἄλλων ἄρχειν, ἀλλὰ καὶ τούτων αὐτῶν πλέον ἔχειν, οὐκ ἠθέλησεν, ἀλλ' εἵλεθ' ὑπὸ τῆς πόλεως ἀδικηθῆναι μᾶλλον ἢ τὴν πολιτείαν προδοῦναι.

XVIII, 21. οὐκ οὖν δεινόν.... οὕτω μὲν τῶν συνθηκῶν ἐχουσῶν, τοιούτων δὲ τῶν ὅρκων γενομένων τοσοῦτον φρονεῖν Καλλίμαχον ἐπὶ τοῖς λόγοις τοῖς αὑτοῦ ὥστε ἡγεῖσθαι πείσειν ὑμᾶς ἐναντία τούτοις ψηφίσασθαι;

§ 64. καὶ τὸν μὲν μηδὲ πώποτε ὑπὲρ ὑμῶν κινδυνεύσαντα μεῖζον καὶ τῶν νόμων καὶ τῶν συνθηκῶν δυνάμενον κτέ.

§ 30. τίνας δὲ πίστεις πρὸς τοὺς ἄλλους εὑρήσομεν, εἰ τὰς πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς γεγενημένας οὕτως εἰκῇ λύσομεν;

§ 24. καίτοι δεινόν, εἰ ἐπὶ μὲν τοῖς ὑμετέροις αὐτῶν πράγμασιν ἐμμένετε, ἐπὶ δὲ τῇ τούτου συκοφαντίᾳ παραβαίνειν ἐπιχειρήσετε.

ποιοῦντες ἀλλ' οὐ σφᾶς αὐτοὺς χρηστοὺς παρέχοντες, καὶ νυνὶ τῶν τῆς πόλεως εὐτυχιῶν ἀπολαύοντες, ἀλλ' οὐ πρότερον τῶν ὑμετέρων κινδύνων μετέχοντες.

XVI, 37. οὕτω σφόδρ' ἥ τε πόλις τῶν τοῦ πατρὸς κακῶν ἀπέλαυσε κἀκεῖνος τῶν τῆς πόλεως συμφορῶν ἐκοινώνησεν.

Etiam plura afferri poterant quae similia sunt; sed magna ex parte sunt ex eo genere, quod oratores quum hae et tales causae aguntur proferre solent; velut Lysias XVIII §§ 22, 23. cf. Isocr. XVI §§ 45, 47, 48. Lys. XVIII, § 18 cf. Andoc. I § 81. quae autem attuli imprimisque quae prima posui eiusmodi videntur mihi esse ut uterque orator per se pari modo neque dicere neque nonnullas res inter se coniungere potuerit; neque vero possum diiudicare qua re exstiterit hic consensus; quamquam in extrema dissertationis parte aliquid ea de re dici poterit.

Iam aggrediamur ad singulas orationis partes inquirendas. Franckenius igitur (p. 126) § 1 verbum καὶ ante αὐτοί delendum esse censet. „quales cives ipsi et quorum propinqui misericordiam vestram imploremus". „non homines, ut ait vir doctus, opponuntur inter se, sed attributa ὄντες et προσήκοντες. iam Dobreus his offensus coniecit καὶ οἱ προσήκοντες, sed propinqui non implorant misericordiam." haec equidem non probo, sed puto verba recte tradita esse, quum significare videantur: „considerate, quales etiam ipsi cives simus et quorum propinqui" et quae sequuntur. si vero Franckenii coniecturam probamus, orator magna fuit superbia quum non ad maiorum virtutes tantum, sed etiam ad eas res quas ipse multo iunior gessisset advertere animos iudicum auderet. sin tradita verba retinemus, multo modestius orator admoneri iudices vult quo modo se ipse in civitate gerat.

De §§ 4, 5 ita disputabo ut et de rebus ab Eucrate gestis dicatur et grammatica verborum ratio explicetur. atque Eucrates quidem clade ad flumen, quod appellatur Αἰγὸς ποταμοί, accepta ab Atheniensibus dux renuntiatus est. qui quum a civibus civitati infensis a partibus ipsorum stare iuberetur, eos noluit

sequi sed μᾶλλον εἵλετο πράττων ὑπὲρ τῆς ὑμετέρας σωτηρίας ἀπολέσθαι ἢ ἐπιδεῖν τὰ τείχη καθαιρούμενα .... τὸν δῆμον καταδουλούμενον. itaque quum orator dicat Eucratem noluisse videre muros deleri et alias res fieri quas Lacedaemonii imperaverant, profecto sumendum videtur, illum non alterum eligere potuisse, utrum mori an urbem munimentis carentem intueri vellet nisi quum talem pacem futuram esse Athenienses cognoverant. neque vero hoc apertum esse poterat, priusquam Theramenes Lacedaemone rediisset. ex quo sequitur ut Eucrates tum demum potissimum consuluerit saluti reipublicae.

Iam vero quaeritur quam in partem illud enuntiatum ex oratione XVIII allatum accipiendum sit. dubitari enim potest utrum orator Eucratem ante muros deletos mortem occubuisse putari velit, an ante muros deletos quum optimatibus ἔργῳ καὶ λόγῳ obstitisset, invidia odioque atque morte affectum esse, quam mortem aut ante aut post ruinam moenium tum demum oppetere posset. neque vero id illo enuntiato solo diudicare in animo habeo sed similibus enuntiatis allatis; ea autem in quibus „optativus" legitur, velut βουλοίμην μᾶλλον aut ἑλοίμην μᾶλλον non commemoranda videntur, sed ea afferam, quibus indicativus verborum αἱρεῖσθαι vel βούλεσθαι continetur atque de re gesta dicitur.

Isocr. or. IV § 53 .... ὅμως ἡρούμεθα τοῖς ἀσθενεστέροις καὶ παρὰ τὸ συμφέρον βοηθεῖν μᾶλλον ἢ τοῖς κρείττοσι τοῦ λυσιτελοῦντος ἕνεκα συναδικεῖν. Athenienses quamquam socios opibus pollentes firmius praebere praesidium non ignorabant, tamen quotiescumque in discrimen veniebant utrum adiuvare vellent, gentibus minus validis opitulabantur. in eiusdem orationis § 147 ὁ βασιλεύς .... μᾶλλον εἵλετο περὶ τοὺς θεοὺς ἐξαμαρτάνειν ἢ πρὸς ἐκείνους ἐκ τοῦ φανεροῦ διαγωνίσασθαι. ne plura; intellegimus ex his Graecos illa dicendi ratione usos esse, si dicturi erant, eum, cui facultas data esset duas res agendi, deliberare utram gereret. hoc in universum de hac dicendi formula tenendum est.

Xenoph. comment. IV, 4, 4 Socrates, ut ait Xenophon, προ-

εἵλετο μᾶλλον τοῖς νόμοις ἐμμένων ἀποθανεῖν ἢ παρανομῶν ζῆν; Socrati alterum agendum esse scriptor narrat, quum in iudicium vocatus iudices precibus non adiret. Isocr. XVI § 25.... εἵλοντο μᾶλλον φυγεῖν ἢ τοὺς πολίτας ἰδεῖν δουλεύοντας; tyrannide Pisistrati constituta Alcmaeonidae decernere coacti sunt, utrum in urbe manere an ex patria fugere vellent. putandum igitur est paullo post tyranidem constitutam, h. e. quum cives Pisistrati dicto audientes esse coepissent, illud consilium captum esse. in eandemque sententiam cadunt Lyc. c. Leocr. § 86 καὶ οὕτως ἦσαν γενναῖοι οἱ τότε βασιλεύοντες, ὥστε προῃροῦντο ἀποθνήσκειν ὑπὲρ τῆς τῶν ἀρχομένων σωτηρίας μᾶλλον ἢ ζῶντες ἑτέραν μεταλλάξαι τὴν χώραν; idem § 130 εἰδότες γὰρ ὅτι δυοῖν κινδύνοιν ὑποκειμένοιν ἀναγκαῖον ἔσται θατέρου μετασχεῖν, πολὺ μᾶλλον αἱρήσονται τὸν πρὸς τοὺς πολεμίους ἢ τὸν πρὸς τοὺς νόμους καὶ τοὺς πολίτας.

Itaque formula quae est μᾶλλον αἱρεῖσθαι hoc dici videtur, qui id quod iniquum vel inutile esset vel contemneretur vitaret, eum aliud quid (sc. alterum quod reliquum est) aggredi; idemque alio modo demonstravit Nitzschius:[35]) „verba, inquit, quae cum voluntatem optionemve denotent, iudicio decernenti prae ceteris accommodata sunt, posita vero in deliberatione non possunt non uno delecto repudiare alterum." et quoniam hoc cognovimus, ad exemplum Lysiacum redeamus; hic quoque verbum (ἐπ) ἰδεῖν legimus, ut in enuntiato ex Isocratis oratione XVI allato, quo id, quod observat Eucrates, manet non per posteram aetatem, sed brevi temporis spatio continetur. quod si eam sententiam in formula αἱρεῖσθαι μᾶλλον positam esse recte exposui, enuntiatum Lysiacum hoc significat: „mori praetulit, ne ruinam moenium intueretur h. e. a n t e rem publicam sublatam." neque enim alium sensum ratio dicendi, qua usus est orator, videtur offerre. atque eandem sententiam superiore aetate Scheibius probavit, cui ad illam explicandi rationem praeter εἵλετο μᾶλλον etiam οἱ ἄρξειν μέλλοντες (§ 5) spectare videntur.[36]) quae

[35]) in editione Plat. Ionis p. 71. — [36]) Oligarchische Umwälzung in Athen p. 52, n. 19.

cum ita sint, Blassius non videtur probandus qui Scheibium, ut equidem opinor, non recte refutarit.[37])

Eucratem ἀπολέσθαι ὑπὲρ τῆς ὑμετέρας σωτηρίας πράττοντα orator dicit; et cognoscimus neque a quo ἀπώλετο[37]) neque num forte ipse sibi mortem consciverit. quum vero verba πράττοντα ὑπὲρ τῆς ὑμετέρας σωτηρίας et ἀπολέσθαι inter se coniuncta sint, significare videntur Eucratem obstitisse quo minus foedus Theramene auctore cum Lacedaemoniis iceretur, atque ab optimatibus necatum esse (cf. Lys. XVIII § 24. XIII §§ 15, 17); cui explicandi rationi repugnat quod Lysias in oratione XIII duces triginta viris florentibus interfectos esse memoriae prodidit. neque vero Lysias neque Xenophon iam ante tyrannidem illam constitutam ei, qui ea, quae vellent tyranni, fieri non sineret, palam necem illatam esse tradiderunt. occurritur autem mihi a viris doctis dicentibus Cleophontem ante illum reipublicae statum interfectum esse. contra ea autem dico et Cleophontem populi principem fuisse et mortuum esse, quod ἀστρατείας iudicio arcessitus erat, quum duces oligarchia constituta tum demum interfecti essent. et quoniam ex hac oratione XVIII apparere videtur, Eucratem ante triginta virorum imperium mortem occubuisse, quamquam hoc modo verba non possunt explicari, putes in Eucratem eodem modo quo in Cleophontem animadversum esse, ita ut quamquam triginta viris re vera obstabat, sceleris alius accusatus sit. si vero tale peccatum οἱ βουλόμενοι τὴν ὀλιγαρχίαν καταστήσασθαι (XIII § 12) finxissent, populus sine ulla dubitatione eum absolvisset. cf. Lys. XIII § 36 εἰ μὲν οὖν ἐν τῷ δικαστηρίῳ ἐκρίνοντο, ῥᾳδίως ἂν ἐσώζοντο. forsitan quispiam ea ipsa verba attulerit dixeritve, optimatibus licuisse apud senatum iudicium Eucratis deferre. hoc fieri potuit, sed ex illo enuntiato non elucet, Eucratem causa acta supremum diem obiisse. verba igitur Lysiaca nihil aliud significare videntur, nisi Eucratem quum pro republica rem gereret ante diruta moenia mortuum esse. qua cum sententia non convenit, quod

[37]) p. 523, n. 4.

duces tyrannide florente interfecti sunt, et quae § 24 de Eucrate et Nicerato orator dixit. quum igitur hae laudes Eucratis cum scelere nulla ratione (cf. diss. meae cap. I § 7 et cap. II init.) coniungi possint, non dubito dicere, res inter se repugnantes neque a Lysia neque ab aequale commemorari posse.

Deinceps structuram sententiarum examino; verba quae sunt ἡττημένων... πείθεσθαι significant: „dux renuntiatus et (semper) petitus ut particeps fieret oligarchiae (quae erat) eos noluit sequi.“ iam vero quaeritur utrum temporalem sententiam utrumque participium (ᾑρημένος et παρακαλούμενος) an alterum concessivam exprimat ut coniunctionis voce „quum“ aut „quamquam“ interpreti utendum sit. atque prior interpretandi ratio ferri potest, si verba quae sequuntur ἐν τοιούτῳ καιρῷ ληφθεὶς (sic lib. ms.) cum praecedentibus verbis coniunguntur, ita ut haec fiat sententia: „quum dux renuntiatus esset quumque admoneretur ut particeps evaderet oligarchiae (quae erat), noluit sequi eos, quamquam eo tempore captus est, quo plurimi hominum utantur rebus commutatis, populo fortunis in adversis versante—.“ neque vero verbum ληφθείς, quam libri lectionem Scheibius servavit, potest intellegi; itaque Kayserus κληθείς[38]) vel παρακληθείς scribendum proposuit eumque secutus est Westermannus quum orationes Lysiacas ederet a. 1854. quod si recipimus, illud enuntiatum significat: „quamquam eo tempore invitatus erat, quo plurimi —“ et quae sequuntur. Scheibius quidem illud ita refutat ut dicat[39]) „quod a XXX viris ad dominationis societatem invitatus esset hoc afflicto tempore Eucrates non fuisset constantiae signum, sed potius id quod repudiavit illum honorem. qua re aut aliud quid in corrupto vocabulo latere aut illud ab imperito interprete (pro αἱρεθείς) ascriptum esse existimaverim.“ equidem dixerim quod quamquam invitatus est ad dominationis societatem, tamen maluit interire quam rem publicam eversam videre, constantiae esse. neque verbum αἱρε-

---

[38]) Diar. erudit. Monac. a. 1848. p. 414. — [39]) praef. ed suae p. XLXIII.

θείς probandum videtur quod τὸ οὐκ ἐθελῆσαι non τῷ αἱρεθῆναι sed τῷ κληθῆναι opponi potest. ac quantum ex structura enuntiati quae est in libro manuscripto colligitur, verba οὐκ ... μέλλοντας ad οὐκ...πείθεσθαι referenda videntur et ἀλλὰ cum εἵλετο coniungendum. quamquam hoc in dubitationem vocarim; puto enim οὐκ ἀπελαυνόμενος ... μέλλοντας et ἐξόν... δύνασθαι inter se opponi et ad verbum εἵλετο utrumque enuntiatum pertinere. quae si ita sunt, verba ἠθέλησεν et εἵλετο ulla coniunctione carent; itaque Franckenius (p. 127) ἀλλὰ post πείθεσθαι intercidisse putat et ipse Scheibius[39]) „si alterutra emendationum Kayseri admittatur, certe ἀλλὰ vel καὶ interponendum erit post πείθεσθαι, ut καὶ ἐν τοιούτῳ καιρῷ κληθείς cohaereant cum eo quod infra sequitur verbo εἵλετο.“ si hos viros doctos sequimur, utrumque participium (ᾑρημένος, παρακαλούμενος) non in eandem sententiam accipi potest, sed alterum sententiam concessivam continere videtur: „quum dux renuntiatus esset, quamquam (saepe) invitabatur ut.... tamen noluit sequi.“ tum vero offensioni sunt non modo particula καὶ (inter ᾑρημένος καὶ παρακαλούμενος) sed etiam enuntiatum quod sequitur, quo idem atque praecedenti dicitur. neque eam ob causam quod Franckenius proposuit probandum videtur. equidem enim opinor enuntiatum ἐν τοιούτῳ.... δήμου aptius ad οὐκ ἠθέλησεν αὐτοῖς πείθεσθαι quam ad εἵλετο referri, quo manifestius cognoscatur constantia Eucratis. et quoniam verba οὐκ ἠθέλησεν et εἵλετο omni coniunctione carent et particula coniunctionis inserenda est, aptius haec particula καὶ, quam praefero, ante οὐκ ἀπελαυνόμενος interponenda videtur, praesertim quum Scheibio et Franckenio auctoribus participia κληθείς et ἀπελαυνόμενος tamen coniunctionis indigeant.

Deinde aoristi forma verbi ἐθέλειν offensioni mihi est, si cum Franckenio ἀλλά ante ἐν τοιούτῳ ponitur, παρακαλούμενος... οὐκ ἠθέλησεν. equidem exspectaverim dictum esse παρακαλούμενος.... οὐκ ἤθελε, ut Isocr. XVI § 5, et propter hanc analogiam licere videtur ἐν τοιούτῳ καιρῷ κληθείς ad οὐκ ἠθέλησεν referri. postremo Cobetus δυστυχοῦντος τοῦ δήμου recte expunxisse eamque coniecturam Franckenius haud male probasse videtur.

Quam bene maiores de populo meriti essent, orator docuit enumeravitque illorum laudes § 7, ubi haec verba λελειτουργηκόσι κάλλιστα mihi offensioni sunt. vocabula quidem per se non sunt mira „quam pulcherrime muneribus functi", sed nexus sententiarum aliud quid desiderare videtur. nam orator commemorat quot et qualia munera maiores suscepissent, vectigalia pependisse, κάλλιστα λελειτουργηκέναι neque quidquam aliarum (sc. reliquarum) rerum neglexisse, quas ipsos facturos esse civitas sperasset vel potius iussisset, sed libentibus animis λειτουργεῖν. mirum est verbum λειτουργεῖν bis positum, neque alterum recte potest dictum esse. verbum λειτουργεῖν enim significat, munera omnia quae civibus suscipienda civitas proponit solvere. cf. XII § 20, XXV § 12, VII § 31. ex quibus apparet, verbum λειτουργεῖν quasi absolute dictum non esse a Graecis; neque λειτουργεῖν κάλλιστα quidquam significare potest nisi munera quam pulcherrima facere. ac potius offendor coniunctione duorum verborum, quorum alterius significatio alterius notione continetur, quamquam illud non poterat reprehendi, si ad verbum λειτουργεῖν obiectum quamvis infinitum additum esset, veluti τὰ ἄλλα, idquod ex exemplis supra allatis satis elucet. itaque Hamakeri sententiam[40]) non probo, qui λελειτουργηκόσι defendit et λειτουργοῦσιν mendosum esse dicit. „liturgiarum enim, inquit ille, supra una cum belli periculis et εἰσφοραῖς mentio facta est. hic autem desideratur verbum, quod in universum de omnibus munerum et officiorum generibus, quae cives reipublicae praestare soleant, aeque adhiberi potuerit. orator enim verbis καὶ τῶν ἄλλων οὐδενός .... προσέταξε omnia complectitur, quae illis non contineantur; fortasse legendum ὑπουργοῦσι; notum quidem est λειτουργεῖν etiam latiore sensu ab Atticis scriptoribus usurpari.[41]) hic autem idem obtinere non credo, quum in eadem enuntiatione paullo ante proprio sensu legatur et parum eleganter intra breve spatium alia significatione recur-

---

[40]) p. 70. — [41]) idemque concedit Scheibius Vind. Lys. p. VIII (cf. Lys. XIX § 59.)

risset.“ haec quidem Hamakerus, qui, ut dixi, non recte dixisse videtur, vocabula καὶ τῶν ἄλλων . . . προσέταξε ea quae supra commemorata sunt complecti; nam ea nihil aliud quam sententiam praecedentem complent. quod quum eluceat ἐκ τῶν ἄλλων οὐδενός. . . ., posterior totius enuntiati pars significare mihi videtur „et alias res quas agendas civitas proposuit gesserunt.“ simile igitur quid atque in exemplis supra allatis; itaque verbum λειτουργεῖν in extrema sententiae parte recte scriptum esse puto. quae quum ita sint, λελειτουργηκόσι reiciendum videtur et fortasse κεχορηγηκόσι, ut proponit G. A. Hirschigius[42]), vel simile quiddam scribendum, cuius significatio notione verbi λειτουργεῖν contineatur. Kayserus[43]) quidem pro λειτουργοῦσι πεποιηκόσι posuit; τὰ προσταττόμενα ποιεῖν quidem usitatissima dicendi ratio est, cf. Isocr. XV § 150. Lys. XII § 20. VII § 31. XIV § 20. XXI § 23. sed cum forma λειτουργοῦσιν suspecta sit, non est cur verbum hoc, quod per se intellegi potest, mutetur; neque potest negari λελειτουργηκόσι pro λειτουργοῦσι aptius dici, ut ait Scheibius in praefat. ad Lys. orat. p. XLIX.

Paragraphis duodecim primis orator laudes maiorum celebraturus est; quamquam § 8 a re proposita aberrat iudicesque docet quam miser sit; et § 9 pergit cognatorum munera in populum enumerare; hoc vero mirum est praesertim quum quae leguntur § 8 eadem pariter in extrema § 12 parte iterum dicantur; ad hoc accedit quod ἐν δὲ τῇ δημοκρατίᾳ . . . . τῶν ὄντων quum enuntiatorum nexui aliena sint, non apte dicuntur. itaque Hirschigium[42]) probaverim qui delendam hanc paragraphum proposuit. is enim offenditur quod ἡμῶν significat „nostros maiores et nos qui loquimur“. ἀποθνήσκοιμεν ad maiores solos pertinet (§ 53) et ἀποστεροίμεθα ad eos qui loquuntur. neque vero haec ratiocinatio probabilis videtur; nam cur orator ea dicere non poterat?

---

[42]) miscell. philol. et paedag. fasc. II. p. 135 sq. — [43]) l. c. p. 405.

Sequitur ut de §§ 9—12 quaeram; quibus paragraphis quum de Diogneto multa prolata sint, videndum est, quid de eo memoriae proditum sit.

In Andocidis oratione „περὶ μυστηρίων" Diognetus quidam in eorum numero, qui ad senatum deferebantur, commemoratur § 15; omnes autem cives a Teucro delati fugerunt (ᾤχοντο φεύγοντες) anno 415. ol. 91, 1. praeterea ex illa oratione cognovimus, eos, qui illius criminis accusati fugerant neque mortui erant, quum Andocides orationem haberet, iam rediisse. cf. § 25. hunc igitur Diognetum putant nonnulli eundem esse quem Lysias commemoravit,[44]) qui de eo haec memoriae prodidit: „Diognetus a delatoribus calumnia litium petitus est et sua sponte exul factus est." quam significationem verborum ᾤχετο φεύγων docent multa exempla ex Andocidis oratione περὶ μυστηρίων sumenda, velut §§ 13, 15, 34, 49. „cum paucis autem, inquit orator, τῶν ἐκπεπτωκότων neque urbi bellum intulit neque Deceleam pervenit." nobis igitur credendum est, quum Diognetus in exilium iret, etiam complures expulsos esse; miror autem quod, quum et Diognetus et reliqui qui mysteriorum profanatorum accusati erant in exilium voluntarium ivissent, qui quidem non antea in vincula coniecti essent, alii qui se cum illo coniunxerunt expulsi sunt, (ἐξέπεσον) · sed nunc haec mittamus.

Ex verbis Lysiae sequi videtur, eos qui capite deminuti erant nihil contra patriam suscepisse. itaque nec bellum intulerunt nec Deceleam profecti sunt, sed nescio quo pervenerunt. dico igitur exulibus factis ilico facultatem datam esse aut cum hostibus contra cives pugnandi aut quietos se tenendi. quod si § 9 recte interpretatus sum, non potest probari, quod Blassius[45]) dixit, Diognetum a. 415 profanatorum mysteriorum delatum ultro fugisse; neque enim ea aetate Decelea erat munita, sed aestate anni 412 ineunte demum. et quoniam non constat, ubi per spatium temporis inter annos 415 et 412 interiectum exules morati sint, iudicandum est aut Diognetum non causa

[44]) Blass. p. 523. n. 1. Bremius p. 192. — [45]) p. 523.

profanatorum mysteriorum acta φεύγοντα οἴχεσθαι sed Decelea munita alio iudicio arcessitum, aut inter verba ᾤχετο et μετ' ὀλίγων aliquid excidisse.

Porro cognovimus Diognetum ex exilio revocatum esse; nam ex verbis quae fecit orator οἱ αὐτῷ τῆς καθόδου αἴτιοι γεγενημένοι (§ 9) elucet eum rediisse in urbem.

Sed ut quo tempore redierit Diognetus cognoscamus, quae extrema § 9 sunt enuntiata examino; atque orator quidem propinquum neque exulem nec post reditum quidquam in populum commisisse dicit; etiam eo virtutis pervenisse ut τοὺς εἰς ὑμᾶς ἡμαρτηκότας maiore invidia quam τοὺς αὐτῷ τῆς καθόδου αἰτίους γεγενημένους gratia affecerit. meo quidem iudicio enuntiata quae sunt αἴτιος... γεγένηται et ὥστε... ἐχαρίζετο inter se opponuntur ut quae sensit quaeque gessit eodem tempore Diognetus intellegatur. quod quando factum sit, elucet ex verbis καὶ ἀρχὴν μὲν οὐδεμίαν ἦρξεν ἐν τῇ ὀλιγαρχίᾳ. ex eo igitur cognoscitur, Diognetum ἐν τῇ ὀλιγαρχίᾳ non modo Athenis versatum esse neque quidquam in populum peccavisse, sed etiam revocatum esse; nam οἱ αὐτῷ τῆς καθόδου αἴτιοι γεγενημένοι sunt iidem qui οἱ εἰς ὑμᾶς ἡμαρτηκότες. ἡ ὀλιγαρχία autem aut quadringentorum aut triginta virorum esse potest; neque enim quamquam optimates inter annos 411—404 rem publicam liberam evertere studebant, hoc temporis spatio τὴν ὀλιγαρχίαν fuisse potest dici. (cf. de ἡ ὀλιγαρχία et ὀλιγαρχία Frohbergerum ad XXV § 7); et Lysias ipse dixit per temporis spatium inter pugnam navalem commissam et triginta viros constitutos interiectum δημοκρατίαν ἔτι εἶναι. (cf. XII § 43). atque mihi quidem ἡ ὀλιγαρχία melius definiri posse videtur; orator enim quum verbis καὶ ἀρχὴν μὲν οὐδεμίαν ἦρξεν ἐν τῇ ὀλιγαρχίᾳ factis doceret Pausaniam qui ut triginta viros adiuvaret (§ 12 τὰ μὲν παρὰ τῶν τριάκοντα ξένια οὐκ ἠθέλησε λαβεῖν) venisset, Diogneto auctore populum fovisse, ἡ ὀλιγαρχία nulla esse potest nisi triginta virorum. quae quum ita sint, Diognetus anno 404 in urbem rediisse putandus est; sed quum

triginta viris auctoribus viros superiore aetate expulsos esse revocatos non acceperimus, tamen id credibile non est factum esse, quum paullo ante triginta viros constitutos exules rediissent. (cf. Andoc. I § 80). quumque constet, Athenienses cum Lacedaemoniis foedus icisse tale, quod optimates appeterent (cf. Xen. hell. II, 2, 20), equidem opinor dici licere, triginta viros, qui amicitia cum Lacedaemoniis coniuncti essent, quasi ipsos pacem fecisse cum Atheniensibus atque iis imperasse quae fieri vellent; quam ob rem oratori licuit dicere οἱ αὐτῷ τῆς καθόδου αἴτιοι γεγενημένοι.

Quae quum ita sint, Diognetum profanatorum mysteriorum accusatum in exilium ivisse, statuendum non est; et Marcellinus [46]) quidem in vita Thucydidea (p. 6, Bk.) clade Siciliensi accepta media aestate ol. 91, 4 legem oblivionis, ut ita dicam, vulgarem latam esse memoriae prodidit. cuius expertes erant qui Alcibiadem eiusque cognatum, cui idem nomen erat, secuti cum hostibus, h. e. Lacedaemoniis, patriae bellum intulerant. qui vero factum est, ut Diognetus tamen Athenis captis demum reverteretur?

Atque Diognetum Deceleam non pervenisse, h. e. non προδότην fuisse orator docet. et recte huius rei commemoratio ei utilitati esse potuit. Athenienses enim decrevisse ut in cives qui ad hostes fugissent crudelitate summa uterentur, Lycurgus [47]) memoria prodidit; idemque dixit eam legem latam esse, postquam nonnulli Deceleam profecti sunt; praeterea mentio alterius legis fit, quam latam esse post legem de Phrynicho apparet ex § 116: εἰ μὲν ἕν τι τοιοῦτον γεγονὸς ἦν ψήφισμα, εἶχεν ἄν τις εἰπεῖν ὡς δι' ὀργὴν μᾶλλον ἢ δι' ἀλήθειαν ἐποιήσαντο. etiam alii scriptores legem de perfugis ad hostes post quadringentorum tempora latam esse tradiderunt; velut Thucydides quosdam Deceleam fugisse bis memoriae prodidit, primum VII, 27 viginti milia servorum paullo post Deceleam munitam eo pervenisse; deinde

[46]) Kirchhoffius annal. philol. et paedag. a. 1862 p. 248. — [47]) c. Leocr. § 120.

VIII, 98 ἐν δὲ τῇ μεταβολῇ (imperio quadringentorum abrogato) ταύτῃ εὐθὺς οἱ μὲν περὶ τὸν Πείσανδρον καὶ Ἀλεξικλέα καὶ ὅσοι ἦσαν τῆς ὀλιγαρχίας μάλιστα ὑπεξέρχονται εἰς τὴν Δεκέλειαν.

Orator igitur quum οὔτε εἰς Δεκέλειαν ἀφίκετο dixit, illius legis rationem habuisse videtur, ratus hoc modo rem Diogneti facillime iudicibus probari posse. quae quum ita sint, si primum enuntiatum § 9 recte interpretatus sum, elucet Diognetum ab anno 415 usque ad 410 non in exilio moratum esse. itaque Bremius et Blassius Diognctum, cuius orator mentionem fecit, eundem esse, quem Andocides commèmoravit, non recte iudicarunt.

Fortasse dixerit quispiam, Diognetum non anno 415 sed anno 410 quum quidam ex urbe effugerent ex patria fugisse. neque vero hoc fieri potuit, quod Thucydides (VIII, 98) ipse dixit, omnes cives qui optimates foverent quadringentorum imperio abrogato Decceleam profectos esse; itaquc necesse est ut statuamus, Diognetum et Deceleam pervenisse et a partibus optimatium stetisse, contra quae opprobria Diognetum defendit orator. ac si verba nobis tradita recte intellexi, putandum nobis est, Diognetum inter annos 410 et 404 exulem fuisse, per quod tempus delatores florebant (cf. Lys. XXV § 25, sq.). quod quamquam per se credi potest et cum sequentibus quidem verbis quodammodo convenit, tamen contra dicendum videtur, oratorem quum in verbis οὔτε εἰς Δεκέλειαν ἀφίκετο proferendis illius de perfugis legis rationem habuisset, tum propter Alcibiadem verba οὔτε... ἐστρατεύσατο addidisse. neque enim accepimus ab antiquis scriptoribus post Alcibiadem eiusque cognatum etiam alios Lacedaemonem fugisse; neque idem significant duo illa enuntiata; Lacedaemonii qui Deceleae erant iis qui domi versabantur aperte opponuntur. verba igitur ut aliquid momenti habeant, Diognetum necesse est ante 410 fugisse, id quod falsum esse ex praecedentibus intelleximus. praeterea mirum quantum τὸ στρατεύεσθαι et τὸ ἀφικέσθαι seiunguntur; nam qui Deceleam pervenit, idem urbi bellum intulit.

Iam redeat oratio mea unde supra aberravit; censeo enim Andocidem secutus verba φεύγων ᾤχετο de voluntario exilio intellegenda esse, verbum ἐκπεπτωκότες ad eos pertinere qui inviti eiecti sunt. et sine dubio in animo habuit dicere orator, eodem tempore quo Diognetus e patria fugit alios populo auctore expulsos esse. neque vero ullus scriptor hoc spatio temporis multos una expulsos esse tradidit, quamquam alius alio tempore cogebatur in exilium ire. quo tempore igitur Diognetus in exilium iverit accurate definiri non potest. hoc antem concedimus, fortasse nescio quid excidisse. et si hoc arbitramur, hiatus inter ᾤχετο et μετὰ statuendus est, ut si verbum ᾤχετο ad crimen profanatorum mysteriorum pertinet, forsitan dictum sit, Diognetum post Siciliensem cladem rediisse; quod autem rursus cum aliis peccare videbatur in populum, omnes quasi hostes patriae in exilium eiecti sunt. haec tamen sententia improbanda videtur, quod orator non de duobus exiliis sed de uno sequentibus verbis disputat. quae quum ita sint, hanc partem orationis nonnullis enuntiatis deletis minus accuratam factam non esse opinor. idquod apertius apparebit ex his.

§ 10 quod orator dixit, καὶ ἀρχὴν μὲν οὐδεμίαν ἦρξεν ἐν τῇ ὀλιγαρχίᾳ, hoc significat illum οὐκ αἴτιον γεγενῆσθαι τῷ πλήθει οὐδενὸς κακοῦ. Diognetus igitur triginta virorum imperio florente in urbe mansit — et praesens non est improbatus — tamen cum illis in populum non peccavit ac potius tyrannis irascebatur. itaque mirum est quod hic Diogneti animus delatores qui illa aetate florerent fugit. et ut ex ἀρχήν... ὀλιγαρχίᾳ etiamque dilucidius ex αἴτιον.... κακοῦ apparet, quamquam non erat in eorum civium numero qui soli respublicas administrabant, mirum in modum tamen Diogneto triginta viris auctoribus neque quidquam mali accidit et quamquam (Xen. hell. II, 4, 1) qui ἔξω τοῦ καταλόγου essent, εἰσιέναι εἰς τὸ ἄστυ vetiti sunt, tamen integer in urbe mansit. deinde quum Eucrates et Niceratus propinqui (§ 1) tyrannis auctoribus periissent Diognetus, quamvis oligarchiae inimicus, tamen integer mansit.

nunc satis habeo haec commemorasse; inquiro verba quae sequuntur.

Xenophon enim hell. II, 4, 28 narrat, triginta viros eiectos Eleusine et τοὺς ἐν καταλόγῳ ἐξ ἄστεως legatos Lacedaemonem misisse petivisseque auxilium ad populum opprimendum; uterque proprias res adiuvari cupiit; in eo autem consentiebant quod populum qui in Piraeo morabatur subigi voluerunt. quod quum Lysander cognovisset, legatis qui ex urbe venerant mille talenta obtulit. Pausanias autem, quum Lysandro invideret, assecutus est ut, postquam aemulus castra movit, cum exercitu mitteretur ne Λύσανδρος τὰς Ἀθήνας ἰδίας ποιήσοιτο. ille igitur, quum Lysander optimates adiuvare vellet, occulte populum fovit, cf. Xen. hell. II, 4, 31 ὅπως μὴ δῆλος εἴη εὐμενὴς αὐτοῖς ὤν; etquum ipse optimatibus publice subsidio missus esset, quamquam se contra populum pugnare simulabat, tamen occulte pacem cum populo icit (§ 35).

Ex iis rebus, quae Lacedaemone gerebantur, conici licet, Pausaniam, quum Lysandrum odisset, eam ob rem a Lacedaemoniorum more discessisse et populum fovisse atque auctorem factum esse ut alter exercitus in Atticam mitteretur.[48])

Iam cum hac Xenophontea narratione quae Lysias dixit de rebus post tyrannos eiectos Athenis gestis conferamus; itaque quod orator verbis ἐπειδὴ τάχιστα utitur, hoc certe relatum vult ad tempus, quod fuit post triginta viros expulsos et decem viros constitutos. quod de legationibus, ut or. XII, § 60, non disputavit, id non est vituperandum, quod eius intererat virtutes Diogneti commemorari. tradit vero Lacedaemonios cum Pausania in Academiam advenisse, quae pars urbis septemtrionem versus sita est, quum a Xenophonte (§ 30) acceperimus, Pausaniam ἐν τῷ Ἀλιπέδῳ καλουμένῳ πρὸς τῷ Πειραιεῖ castra posuisse, unde res gereret. quo facto voluntati urbanorum obsecutus est. et Lysias ipse, οἵ τῇ ὀλιγαρχίᾳ βοηθήσοντες ἦλθον (§ 12).

---

48) Curtius l. c. III, p. 37 (ed. II).

Scheibius [49]) censet „Pausaniam, antequam eos qui Piraeum incolebant obsideret, in Academiam pervenisse; nam ex verbis, quae sunt ἐπειδὴ... ἀκαδήμειαν, non posse conici, antea proelium commissum esse. praeterea Diognetum assecutum esse, ut Pausanias populum fovere iuciperet; ad Piraeum autem Pausaniam a partibus populi stetisse." credi sane potest, Lacedaemonios, postquam in Academia aliquantum temporis versati sunt, in Piraeum profectos esse. quod si res se ita haberet, Diognetus ex urbe in Academiam pervenit, ut Pausanias precibus ipsius impulsus res defenderet contra optimates (βοηθῆσαι sc. Diogncto propinquisque καὶ τιμωρὸν γενέσθαι τῶν εἰς ἡμᾶς ἡμαρτηκότων). propinquis autem fere idem accidit quod populo; quod igitur ut propinqui adiuvarentur petivit, hoc pertinuit ad populum universum. ac si Diognetus hoc animo in optimates fuit, quaeritur cur non a populo petiverit ut optimates punirentur. praeterea si orator apud iudices dixisset, Diogneto populum non possc per se optimates opprimere et alieni auxilii egere, hoc illi aegerrime tulissent.

His expositis ex verbis ὅθεν... ἤρξατο non id coniciendum videtur, quod Scheibius, cui Diognetus privatim adiisse Pausaniam videtur, antequam fieret, quod hell. II, 4, 35 narratur. quod vero Pausanias eo pervenit, ut munera a triginta viris oblata accipere nollet, ex hoc apparet, eum illorum consilia non probasse. et si paullo post ex Academia ad Piraeum profectus est, (hell. II, 4, 31) proelio simulato non poterat efficere ὅπως μὴ δῆλος εἴη εὐμενὴς τῷ δήμῳ ὤν. et ne tres quidem phylae Atheniensium, quae a partibus urbanorum stabant, quibusque hoc proelio utebatur, eum essent secutae. praeterea Piraeenses si Scheibius recte exposuit, quod Pausanias iussit, profecti essent ἐπὶ τὰ αὑτῶν (Xen. hell. II, 4, 31).

Iam videamus, quid Diognetus precibus nactus sit. orator laudat, quod homo cognatus effecerit, ut Pausanias populum Atheniensium fovere inciperet. neque vero Diognetus Pausa-

---

[49]) Olig. Umwälzung p. 128. n. 3.

niam adiit, ut illud impetraret, sed ut ipsi utilitatem afferret eamque ob causam ξένια secum portavit. casu igitur accidit, ut Pausanias animum mutaret; sed si ita illud orator apud iudices exposuit, poterat de rebus illis potius tacere.

Haec omnia quoniam ea, quae §§ 10—12 exponuntur, suspecta reddunt, liceat mihi aliquid de § 10 conicere. mea quidem sententia verba quae sunt ἐπειδὴ .... ἀκαδήμειαν docent, Lacedaemonios in animo habuisse usque ad haec loca proficisci indeque res gerere. haec de rebus gestis quae his paragraphis commemorantur. iam igitur inquiramus structuram enuntiatorum quibus § 11 continetur. ibi enim legimus, Pausaniam, quum rebus a Diogneto commemoratis commoveretur, populum fovere coepisse, nec satis apparet, qua ratione illud cum iis, quae sequuntur παράδειγμα ποιούμενος, cohaereat. neque enim hoc participium ita intellegi potest ut tempus constituatur vel ut, qua re mutaverit Pausanias sententiam, populo Atheniensi dicatur. quorum illud, quod prius posui, nequit intellegi; alterum autem si recte dictum esset, mutata esset Pausaniae sententia et rebus Athenis gestis et quod ipse has res Lacedaemonios docuisset. neque quidquam aliud hoc significaret nisi Pausaniae auctore Diogneto non persuasum esse, cognatis illius aliquid mali accidisse, sed quum Lacedaemonios de rebus Athenis gestis certiores fecisset, tum demum εὔνουν ἄρξασθαι εἶναι τῷ δήμῳ. hoc quidem sine dubio orator dicere noluit. ac quum illud participium non possit accipi, ut oratio fiat concessiva, quisquis meam disputationem probabit, concedet structuram enuntiati aliquid offensionis habere. deinde orator ita pergit, δῆλον γὰρ ἅπασι τοῖς Πελοποννησίοις ἐγεγένητο, ὅτι ... τιμᾶσθαι; qua dicendi ratione usus orator explicare in animo habuit, qua re Lacedaemonii saluti Atheniensis populi consuluissent. quod ut intellegamus, tenendum est, nusquam traditum esse, Lacedaemonios his animis in populum Atheniensium ante foedus a Pausania ictum fuisse; et si hoc fuisset, Lacedaemonii sine dubio alias res gessissent; praeterea Pausanias a populi partibus stetit Diogneto auctore, non Ladaemonii, qui de sceleribus a tyrannis

gestis certiores facti sunt. quae quum ita sint, enuntiatum δῆλον γάρ ... τιμᾶσθαι non intellegi posse equidem opinor.

Et quoniam de §§ 13—19 supra fusius disputavi, inquiro extremam orationis partem. potest autem quispiam putare § 20 et § 17 idem dici, ut et τὰ ὑπὸ τούτων δημευόμενα et quae § 17 legimus vulgarem sensum habere videantur. quod si ita esset, enuntiatum, quod extremum est § 20, non intellegeretur. nam αὐτῶν, quae rei possident, pertinet ad τὰ ὑπὸ τούτων δημευόμενα, quae et a delatoribus condi et minimo venire orator dicit. itaque illa enuntiata ita intelligenda sunt, ut dicamus, quae § 17 exponuntur, vulgarem habere sententiam, quae § 20 leguntur, ad opes filiorum Eucratis pertinere. quae quum ita sint, τὰ δημευόμενα interpretandum nobis est, ea bona, si publicabuntur, vobis (iudicibus h. e. populo) nullam afferent utilitatem.

De universa oratione, de qua diximus, varia fecerunt iudicia viri docti, et Hoelscherus quidem δευτερολογίαν esse iudicavit; sed hanc sententiam improbo primum, quod orator ipse orationem habuit, quippe quum ipsius plurimum interesse deberet, ut hanc causam obtineret, deinde, quum triearchorum munere fungeretur, ei licebat forum attingere. quod autem Hoelscherus dixit testimonia deesse, contra dicendum est, haec in „probatione“, quae perdita est, allata fuisse. atque si haec oratio esset δευτερολογία, quis πρωτολογίαν habuit? neque enim de fratre potest cogitare, quum minor natum fuerit; quod quidem ex eo sequitur, quod § 21 fratrem post se ipsum orator nominavit. et omnino maioris natu filii Eucratis oportebat maximi interesse, rem ipsius defendere et primam vel priorem orationem habere. ad hoc accedit quod orator ipse professus est, se nolle synegoros producere (§ 24). idem contra Falkium[50]) dici potest, cui oratio prior a Diogneto habita videtur; neque illud probasse videtur, hanc orationem ἐπίλογον esse, non mutilatam.

---

[50]) Die Reden des Lysias übersetzt und erläutert p. 210.

contra quam sententiam recte monuit Blassius[51]), in initio orationis ἐνθυμήθητε τοίνυν legi. praeterea animum adverterim quod supra dixi, codicem Palatinum ita comparatum essse ut primordium huius orationis non servatum esse videretur. sine ulla autem dubitatione recte iudicarunt, qui orationem hanc mutilam esse crediderunt. atque Dobreo quidem „fragmentum praestantissimum" esse visum est. hoc autem negarunt et Franckenius[52]) et Blassius[53]). Franckenius enim hoc dixit: „non mala est oratio, vix tamen digna, quae a Dobreo, verborum ceteroquin parco, dicatur „praestantissimum fragmentum". non magnam habet inventionis neque dispositionis laudem. tum etiam eadem sententia saepius repetitur, quod mirandum non est in iudicum exoratione, qua absumitur tota oratio (§ 1 cf. §§ 21, 24). nam similia in huius modi argumento apud veteres vulgo inveniuntur. per se tamen tale quid nihil pulcrum habet nec quod magnopere admirere. potest oratio bene graece scripta et nihilo minus ieiuna esse." hoc in universum probavit Blassius iudicavitque quum quod dicimus πάθος in hac oratione appertissimum sit quumque hoc dicendi genere non bene Lysias uti soleat, orationem non perfectam esse atque absolutam eaque de causa aliis orationibus inferiorem esse. atque hoc equidem laudo et dico, orationem hanc a Lysia non essse scriptam, qualis in manibus est, sed ab alio genuinam orationem iterum tractatam neque accurate factam esse. quamquam non possum diudicare, quando hoc factum sit, tamen post aetatem Galeni tum demum mutata esse videtur, cui veram inscriptionem acceptam referimus.

---

[51]) p. 521. n. 4. — [52]) p. 129. — [53]) p. 529.



# VITA.

Aemilius Godoholdus Sachse natus sum prope ab oppido Meseritio in pago provinciae Posnaniensis, qui vocatur Kainscht, d. XI. Aug. m. a h. s. LI, patre Godofredo, matre Amalia e gente Studentana, cuius mortem abhinc biennium vehementer lugeo. Fidem profiteor evangelicam. Prima literarum elementa edoctus a patre meo Meseritium a. h. s. LXII me contuli, in cuius urbis schola Hermanno Loewio rectore ad literas incubui, Gymnasium ex illa schola a. h. s. LXVIII factum per biennium Hermanno Poltio rectore, praeceptore carissimo atque dilectissimo, frequentavi. Deinde a. h. s. LXX maturitatis testimonio instructus almam universitatem literarum regiam Fridericam Guilelmam Berolinensem adii, ut in literis et Graecis et Latinis et Theodiscis cognoscendis imprimis quasi tabernaculum vitae meae collocarem. Atque ibi per septies sex menses scholis interfui horum imprimis virorum clarissimorum: Bonitzii, Curtii, Dorneri, Droyseni, Harmsii, Hauptii, Huebneri, Kirchhofii, Kleinerti, Mommseni, Muellenhofii, Semischii, Zelleri. Seminarii philologici per ter sex menses sodalis fui ordinarius; praeterea Huebnerus ut philologicis, Muellenhoffius ut Theodiscis exercitationibus adessem, benigne permiserunt. Quibus viris omnibus optime de me meritis summas has ago gratias.



# SENTENTIAE CONTROVERSAE.

---

1. Lysiae orationes in scholis non legendas esse contendo.
2. Lys. or. c. Erat. § 50 cum Lipsio ἕν τῳ λόγῳ scribendum credo.
3. ibid. inter verba αὐτῶν et χρῆν enuntiatum quoddam intercidisse.
4. Aeschinis oratio in Ctesiphontem, qualem nunc habemus, scripta est, postquam Demosthenis oratio de corona edita erat.
5. Eurip. Med. v. 234 scribendum est
   λαβεῖν· κακοῦ γὰρ τοῦτ' ἔτ' ἄλγιον κακόν.
6. ibid. v. 259 scribendum est
   τοσόνδε δ' οὖν σου τυγχάνειν βουλήσομαι.

Meseriti. Typis Pauli Matthias.